




BASIL. 1581







£ 3. 3. 0



DE HERBARVM VIRTVTIBVS ÆMILII MACRI VERONENSIS

elegantissima poësis, cum succincta admodum difficilium & obscurorum locorum, D. Georgij Pictorij Villangani doctoris Medici, & apud Cæsaream curiam Ensishemij olim archiatrum, expositione, iam demùm summa diligentia castigata, & in lucem edita.

ADHÆRENTIBVS GRADVVM *compendiosa tabula, omniumq́ hîc contentorum fructuoso Indice, & elencho, ut quisque facilè ex eo percipiat omnium morborum à summo uertice, ad imos pedes medicinalem curam.*

CVM CARMINE DE HERBA QVAdam exotica, cuius nomen mulier est rixosa, eodem D. Georgio Pictorio Villingano autore.

BASILEÆ.

DIGNISSIMO VIRO, ET STRENVO HEROI DOMINO VVILHELMO Böcklin à Böcklinsouu, præposito Magdenburgensi, ac strenuo militi aurato Domino & Mecœnati suo, Georgius Pictorius Villinganus, Doctor medicus, & Cæsareæ curiæ Ensishemij superioris Alsatiæ archiater, S. D.

EN tibi donamus, dignissime uir, & strenue Mecœnas, non Adonidis, de quib. Pausanias, ad breuem saltem, præsentemq; uoluptatẽ hortulos: sed Lucullianos potiùs, uel Põpeianos, qui tam à publicis, quàm priuatis negocijs dimisso, lene diuerticulum sint, & macellum quandoq;, seu pharmacopolium in annos durabile potiùs. Neq; est, heros ter maxime, quod munus nostrum ceu hypenemium, uel Caricum asperneris, aut

 nihili

nihili habeas, quia herbæ sunt, & flores, uirginibus aut delicatulis amatoribus munus tam conueniens, quàm apta sunt tela Marti. Triuariam enim herbarũ, florumq́; exaggeremus autoritatem. Primò, quòd à rerũ initio artis herbulariæ cognitio maximè in precio fuerit, & Adam, suæq́; coniugi Heuæ, ductu pneumatis desuper elargita: ac quod Solomon per Philosophiã naturalẽ à Deo Opt. Max. datam, hanc, ut tertio Regum habetur, à cedro tractarit ad hysopum usq;. Etiamsi taceam Orpheum, Hesiodũ, Homerũ, Pythagoram, Peonem, Podalirium, Machaonem, Hippocratẽ, & alios doctrinarũ athletas, quos etiam multorũ annorum serie libithina sacrauit, & herbularij fuerunt. Secundò, quòd deos herbas tractasse maximè pateat, qui triumphũ egisse rati sunt, si unam aut alteram inuenissent. Partenion etenim Athlantis nepos Mercurius inuenit, hyosciamum Apollo, panacen Aesculapius, atq; aurea Venus mirtum. Tertiò, quòd rerum omnium magistram, naturam quippe, animalia bruta eò pertraxisse compertum habeamus, ut humanos in usus herbas ostende-

ostenderent. Quis enim dictami usum contra phalangis ictũ docuit quàm cerui? Quis chelidoniam oculis mederi quàm hirundines? Quî cognouissemus rutã uenenis obsistere, si mustela defuisset? Quomodo cunilã serpentis ictum curare potuisset coclea non doctrice? Serpentes fœniculum dederunt, ursi hederam, anseres syderitim, grues portulacam, & ciconiæ origanum. Accipe igitur, amplissime uir, Macri hortulum, uel magis enchiridion, cum nostris scholijs eo animo, quo nos donamus. Donamus autẽ satis beneuolo, ut Attici Põponij ritu à cœna quandoq;, animum relaxãdum seu refocillandum potiùs in horto, quẽ ædibus tuis contiguum habes, legas & relegas. Quam enim horum, quę nos delectãt, proficua sit lectio, Alexander Seuerus propensiùs declarat, qui mensæ finem nunquã expectans, semper in mẽsa legebat, optimum ciborum lectionem ratus condimentum. Tiberius itẽ, qui ex quotidiana lectione conuiuis excerptas quæstiones proponebat, ut epicyliceon, hoc est, iocundam haberent confabulationem, quam uerius animi hilaritatẽ Inducere,

ducere, affirmabat, quam uel Homericam Nepenten uel Buglossam. Id si feceris, amplissime uir, dabis nimirum alijs, etiã doctioribus, uerè tessaram aut symbolum, ut Mecœnatem te Hetruscum facilè agnoscãt, & uberiùs scribant. Valeat interim dominatio tua fœlix, quo diutiùs honorificè suę ditioni, & multis Christianis prodesse queat. Datum Ensishemij anno Virginei partus sesquimillesimo, quinquagesimo octauo, die mensis Septembris uigesimo sexto.

Simplicium quæ hîc habentur graduatio.

Artemisia			1							Bugel
Ἀρθεμίσια		2								Beyfůß
Abrotanum		3								Gertwurtz
Ἀβρότονον			3							kuttel wurtz
Absinthium		2								Wermůt
Ἀψίνθιον			1							
Vrtica			3							Nessel
Ἀκάνθα		2								Brennessel
Allium		4								Knoblauch
Σκόροδον			4							
Plantago			3							Wegerich
Ἀρνογλῶσσον		4								Schaffzung
Ruta			3							Rauten
Πήγανον		3								
Appium			3							Epfich
Σέλινον		3								
Malua			1							Bappel
Μαλαχὴ		2								Kesli kraut
		Sicca	*Calida*	*Humida*	*Calida*	*Sicca*	*Frigida*	*Humida*	*Frigida*	
Folio	1	4	7	12	15	17	22	27	29	

Simplicium quæ hic habentur graduatio.

	Sicca	Calida	Humida	Calida	Sicca	Frigida	Humida	Frigida	
Anethum		2							Dillen
Ἄνηθον	2								Hochkraut
Bethonica		1							Pathenien
Κέστρον	1								Braun Betonic
Sabina		3							Seuenbaum
Βραθὺς	3								Schmeck palm
Porrum		3							Schnittlauch
Πράσον	1								Brislauch
Chamomilla									Camillen
Ἄνθεμις	1								Gel camillen
Nepeta		3							Katzen kraut
Καλαμίνθη	3								Ackerminien
Pulegium		3							Polay
Γλήχων	3								Hertzbleich
Fœniculum		2							Fenchel
Μάραθρον	2							3	
Acidula							3		Haußzwurtz
Ἀείζωον									Donder bar
Folio	32	34	38	39	42	45	47	50	52

Simplicium quæ hîc habentur graduatio.

	Sicca	Calida	Humida	Calida	Sicca	Frigida	Humida	Frigida	
Portulaca								2	Borgel
Ἀνδράχνη							3		Burtzel
Lactuca								3	Lattich
Θρίδακα							3		Lactuc
Rosa						1			Rosen
Ῥόδον					1				
Lilium		2							Weis gilgen
Κρίνον	2								
Satureia		3							Kirch Isop
Θύμβρα	3								Sergen kraut
Saluia		2							Salbey
Ἐλελίσφακος	2								
Ligusticum		3							Liebstöckel
Σμύρνιον	3								
Ostrucium		3							Meyster wurtz
Σίλφιον	3								
Chærifolium		3							Körbelkraut
Γιγγίδιον	2								
Folio	55	57	58	61	63	65	67	69	70

Simplicium quæ hîc habentur graduatio.

Atriplex								1	Scheißkraut
Ἀτράφαξις							2		Melten
Coriandrum								2	Coriander
Κόριον									
Nasturtium	4								Kreßich
Κάρδαμον		4							Garten kreßich
Eruca		2							Weis senff
Εὔζωμον	2								
Papauer						1			Klapper rosen
Μήκων					1				Korn rosen
Cepe		4							Zibel
Κρόμμυον	4								
Buglossus		1							Ochsenzung
Βούγλωσσον	1								
Sinapi		4							Senff
Σίναπι	4								
Caulis		1							Köl
Κράμβη	2								Kabis kraut
	Sicca	*Calida*	*Humida*	*Calida*	*Sicca*	*Frigida*	*Humida*	*Frigida*	
Folio	72	73	75	77	79	82	84	86	90

Simplicium quæ hic continentur graduatio.

	Sicca	Calida	Humida	Calida	Sicca	Frigida	Humida	Frigida	
Folio	96	98	99	102	105	106	108	109	111
Origanum		3							Wolgemůt
Ορίγανος	3								Kosten
Serpillum		3							Quendel
Ερπυλλον	3								*Hünerköl*
Viola								1	*Violaten*
Λεύκοιον							1		*Mertzen negelin*
Aristolochia		1							*Holwurtz*
Αράβαρον	2								*Osterlucy*
Marrubium		2							*Andorn*
Πράσιον	2								*Apffelkraut*
Iris		2							*Blaw gilgen*
Ιρις	2								*Viol wurtz*
Ynula				1					*Alant wurtz*
			2						
Ysopus		3							*Kirchen Ysop*
	3								*Ysopen*
Asarum		3							*Hasel wurtz*
Ἄσαρον	3								

Simplicium quæ hîc habentur graduatio.

	Sicca	Calida	Humida	Calida	Sicca	Frigida	Humida	Frigida	
Mentha		2							Kraus müntz
Ηδυοσμὸς	2								Biment
Cyperus		2							Wilder galgen
Κύπερος	2								
Pæonia		2							Beningen rosen
Γλυκυσίδη	2								Gichtwurtz
Borrago									Burretsch
Βούγλωσσον				2					
Senetio		1	1						Grindkraut
Ηρίγερον	2								Kreützwurtz
Chelidonia		4							Schölwurtz
Χελιδόνιον	4								Schwalbenkraut
Centaurea		2							Tausentgulden
Κενταύριον	2								
Colubrina						1			Naterwurtz
Δρακόνθιον					3				
Isatis						2			Ferblattich.
					1				

Folio | 115 | 116 | 117 | 119 | 121 | 123 | 124 | 125 | 128 |

Simplicium quæ hic continentur graduatio.

	Sicca	Calida	Humida	Galida	Sicca	Frigida	Humida	Frigida	
Hellebor. alb. Ελλ: β. λευκ.	3	3							Weis Nieswurtz
Ellebor9. nig.	3	3							Schwartz Nieswurtz
Verbena ἱερὰ βοτάνη								2	Isenkraut
Chamædris Χάμαιδρυς	3	3							Gamenderlin Vergis nit mein
Morella Στρυχνὸν					2	1			Nachtschatt
Malua							2	1	Bappel
Paratella					2	2			Mengelwurtz Münch reubarb.
Hiosciamus Ηοσκύαμος							4	4	Bisenkraut
Lolium Αἶρα	2	3							Rattenkraut
Folio	128	132	133	135	136	14•	142	143	144

Simplicium quæ hîc habentur graduatio.

	Sicca	Calida	Humida	Calida	Sicca	Frigida	Humida	Frigida	
Cicuta						4			Wüterich
Κωνεῖον					4				wundtſcherlin
Piper		3							Pfeffer
	3								
Pyrethrum		3							Bertram
Πύρεθρον	3								
Zingiber				3					Imber
Ciminum		3							Römiſch kümich
	3								
Galanga		3							Galgenwürtz
	3								
Zedoaria		3							Zitwang
	2								
Gariophilon		2							Negelein
	2								
Cinamon		3							Zimet
	3								
Coſtum		3							Bitter Coſten
	3								
Thus		2							
	2								

Folio	146	147	148	149	150	151	151	152	152	154	155

GEORGIVS PICTORIVS D. MEDICINÆ, candido Lectori s. D.


E tantum mihi placuisse Macrũ credas optime Lector, en eiusdem uitã hîc habes per Crinitum doctiss. literarum athletam, in libro de Latinis poëtis ad Cosmum Pacium pontificem Aretinum lib. 3. cap. 51. descriptã. Ex quo eundem nõ usq; quaq; uirum indoctũ fuisse liquidò tibi constabit, qui & alijs quoq; etiã doctissimis placuerit. Fatemur unum & alterum uersum leoninum, ac lima indigentem: non tamen adeò deplorandum, ut totũ inde Macri opus repudiandum censuerim. Phrasi quid donandum asserimus, dum contenti substantia non à uero degeneret Crinitus sic habet:

Aemilij Macri, poëtæ Veronensis uita, ex Petri Criniti absolutissimæ doctrinæ uiri, tertio de Latinis poëtis libro compendiosè conscripta.

Aemilius Macer patria Veronensis fuit, ut quidam existimant, ingenio & doctrina traditur pręstitisse, quod eius carmen satis indicat. Floruit hic maximè temporibus, quibus Messala Coruinus & Asinius Pollio in Latina eloquentia claruerũt. Id cùm ex alijs multis colligitur, tũ ex Publio Ouidio, qui comes illi fuit, dũ iter faceret in Asiam, ac Siciliæ regionem perlustraret. Amicos præcipuè habuit Albium Tibullum, & Ouidium ipsum,

ſum, cum quibus propter ſuauitatẽ morum, atq; communia ſtudia, magna familiaritate uerſatus eſt. Idem Macer præter opus de bello Troiano, ſcripſit etiam libros de uenenatis animãtibus ac de herbis, ſecutus Nicandrum poëtam Colophonium, in quibus non mediocrẽ laudem tulit ſuæ diligentiæ atq; laboris. Fabius Quintilianus elegantiam carminis in hoc poëta commendauit, ac legenda quidem eſſe illius opera refert, etſi ad eloquentiam oratoris non multũ pertinere uideantur. Nonius Marcellus Aemilium Macrum citat in Theogonio, referens hoc carmen:

Et nunc agreſteis inter Picunnus habetur.

Obijt in Aſia paucis annis poſt Publium Vergilium, ut ab Euſebio relatum eſt. Hæc Crinitus. Contemporaneum Ouidio fuiſſe, ex iſtis Ouidianis ſcriptis facile quiuis deprehendet:

Sæpe ſuas uolucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet ſerpẽs, quæ iuuat herba Macer. Item:
Tu canis æterno, quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſummo Troica bella manu.

Sunt qui ab hoc aliũ fuiſſe Macrum teſtantur, & hũc ex poëtarũ collegio propter phraſim expungendũ cenſent: quib. plane non ſubſcribimus, dũ omnia quæ ſcribit, bonorũ autorũ ductu ſcribit, neminẽq; hactenus uerborũ lænocinio curatum pateat. Autorũ nomina, quos imitatus eſt, quorũ itẽ ſuffragio ſcholia nos addim9, infra fol. 161. repeties. Tu ſaltẽ boni cõſule Lector optime, & uale.

AEMILII

 AEMILII MACRI VERONENSIS DE HERBARVM VIRIBVS, opus tam utile, quàm necessarium, cum Scholijs Georgij Pictorij Villingani, Doctoris Medici longè utilissimis, iam demùm excusis, & in uarijs locis auctis, ac castigatis.



DE ARTEMISIA. Von Beyfuss. Bucken. S. Iohansgürtel. Sonnenwendgürtel. Cap. I.

DE Ἀρτεμισίᾳ scribit Galen. lib. 6. simpli. medic. Dioscor. lib. 3. cap. 118. Aegineta li. 7. cap. 1. Lucius Apuleius de uirtutibus herbarum cap. 10. Plinius lib. 25. cap. 7. Anglicus lib. 17. cap. 16. uulgò beyfuss:

Erbarum uarias dicturus carmina uires,
Herbarum matrem (dedit Artemisia nomen,
Cui Græcus sermo) iustum puto ponere primò,
Huius opem fertur prior inuenisse Diana,
Ἄρτεμις Græcè, quæ dicitur: 1 indeq; nomen
Herba tenet, quia sic inuentrix dicitur eius,
Præcipuè morbis mulieribus ipsa medetur,
Menstrua deducit eius decoctio sumpta,
Hocq; facit matrix, si sæpè fouetur eadem.
Vel si cruda mero sociata terendo bibatur,
Aut si trita uirens 2 super alium nocte ligetur,
Pellit abortiuum potu, uel subdita tantùm
Duritias 3 soluit stericas pellitq; tumores,
Vrinam potata ciet, lapidesq; repellit,
Ictericosq; iuuat cum uino sæpius hausta.
Hanc adipi iunctam strumis opponere laudat
n lib. 22. Plinius, atq; iubet cum uino sumere tritam.
.30. Hæc 4 opium nimium si quemq; læserit haustum
Subuenit eximiè, si uino iuncta bibatur:
Affirmant etiam quisquis gestauerit illam,
Quod nullo ualeat 5 nocuo medicamine lædi,
Et quod eum morsu non appetat ulla ferarum,
Radix illius collo suspensa rubetis
Dicitur, & cunctis 6 nouis obsistere ramis,
Succus ad hoc eius cum uino proderit haustus,
Si musto contrita recens seruabitur herba,

Vinum

Vinum prædictis reddit medicabile morbis,
Et sapor est, & odor uino gratissimus illi,
Confortat stomachum, sanat præcordia sumptũ,
Et multis alijs affirmant utile caussis.

SCHOLIA.

1 INdeq́; nomen.] à *Diana Iouis ex Latona filia, quã* ἄρτεμιν *Graio dixerunt sermone, hanc herbam nominatã scribit Macer, uel hinc fortassis quòd Artemim deã uotis et precibus uocatam, id potuisse creditum est, quòd & ui seu uirtuti huius herbæ arcanarum rerum periti quoq; adscribunt, hoc est, quòd sciuerit trahere menses, elicere fœtus, excludere secundas & locorum inflammationibus mederi. Qua ratione Parthenim quoq; nominarunt herbam, id est, uirginalem, quòd â uirginitatis Dea nomẽ sibi traxerit. Sed alij ab Artemisia regina Halicarnassi, uxore Mausoli, regis Cariæ dictam, impugnãt: quæ glorioso adoptionis genere huius herbæ inuentum sibi adscripserit, indeq́;* βασιλικὸν λάχανον, *id est, regium olus dictam, uel Anactorium, quòd est regalẽ, dum Anactas reges Græco idiomate nominari cõstet. Quidam Sozusam, quasi salutarẽ, ob præsens quod mulierũ locis suggerit remedium. Tamen quàm in multiplici huius herbæ nominũ ambitu ueteres laborarint, Dioscorides amussatim declarat, quem legendi auidus tertio libro capite 118. legat.*

2 Super aluũ nocte ligetur] *Aluũ Dioscorides imũ uentrem interpretatur præfato loco, quem Iulius Pollux in Onomastici secundo uolumine hypogastrion, quod est subuentrale nominat, & complures pubem.*

3 Duricias soluit stericas] *hoc est matricales, nondũ insaniẽ uersos tumores, quales nimis barbara uoce Rases quãdoq; ragadias nominat,* ὑστέραν *enim fœtui gerendo, uas habile, hoc est* Ad Alm. lib. 9.

 matricem,

matricem, Galenus nominat. Idem Siluaticus facit cap. 653.

4 Hæc opium nimiũ læserit si] Quæ opium læsio gusta tum sequatur, Nicander recenset, dum præter perfrictioné cuius Dioscorides meminit 6. lib. profundum somnum recenset, languorem, pruriginem, toto corpore odorem, pallidam faciem, labiorum igneum colorem, exiguam & frigidam respirationem, liuescentes ungues, distortas nares, & cócauos oculos. Est auté opium papaueris nigri liquor, frigidus & siccus in quarto, cuius drach. 2. penso, si Rasi habenda fides, hominem interficiunt.

5 Nocuo medicamine lædi]est enim uenenis singulare Bezoar, & philtris quoq; Thessalis, quæ ut plurimùm insaniam inducunt.

6 Nouis obsistere ranis] Rubetis & aliquibus ranis inesse uenena Plinius 25. naturalis historiæ lib. cap. 10. docet. Bufones tamen, per ranas nocuas quoq; intelligere datur.



DE ABROTANO.

Stabwurtz. Garthagen. Gertwurtz. Schoßwurtz. Lútelkraut. Affrúsch.

Cap. 2.

Ἀβρότονον describit Galen. lib. 6 simplic. cap. 1. Auicenna lib. 2. Dioscorides lib. 3. cap. 26. Serap. cap. 117. Plinius lib. 21. cap. 21. Oribasius de simplic. uirtute lib. 2. Vide Nicandri interpretem.

Ter-

Tertius 1 Abrotono legitur grad9 esse caloris
Et desiccandi semen feruentius herba est,
Vnde iuuat neruos, & causas pectoris oēs,
Illius elixi si sit decoctio sumpta,
Sic quoq; 2 dispnoicis prodest, rufsimq; repellit.
Et prodest lumbis, sic 3 uuluarumq; querelis
Omnibus his, crudū cum uino proderit haustū.
Vrinam purgat, sic & 4 præcordia mundat,
Sic 5 schiasim curat, sic sumptū 6 menstrua soluit.
Serpentes nidore fugat bibitumq; uenena
Illorum 7 extinguit, sedat quoq; frigora 8 febris,
Antea quàm ueniant, si mixto sumitur amne,
Aut oleo quo decoquitur, si membra perungas.
Lumbricos 9 uentris hāc sæpe bibendo necabis,
Huic panis micas & mala Cydonia iungens
In simul amne coquas, oculorum cocta dolori
Apponas, uel feruori, curabis 10 utrumq;
Stirpes infixas, & spinas abstrahet ipsum,
Appositum per se, uel adeps si iungitur illi.
Hæc etiam Venerem puluino subdita tantum
Incitat, & 11 uentri nocuis potata resistit.

SCHOLIA.

1 Tertius Abrotono legi] *Medicinarū simpliciū facultates in quatuor gradus, Galenus & alij naturarū indagatores distinguunt, sic ut primus in corpore humano sua efficiat qualitate operationē, sensu non perceptā. Secundus qualitatē sensu perceptā, citra tamen læsionē functionum. Tertius ut lædat, sed non funditùs eruat. Quartus qui operādo mortificationem & destructionē ingerat. Quibus gradibus & metas, uel*

mansiones adijciunt, sicut idem Galenus 5. simplicium docet: tamen quia illas ex autorum iudicio fermè incerto limitatas cernimus, ut Cepe indicat, quam autor præfatus in tertia mansione tertij gradus calori assignat: & Auicenna in prima quarti gradus, data opera in harum rerum descriptione quiescimus.

2 Dispnoicis prodest] aliquod malũ quãdoq; cõtingere circa fauces 4. lib. Celsus 4. capite scribit, hocq; pro ut se intendit, in tres species idem partitur, & primam quæ ægrum modicum angit, sed nõ strangulat δυσπνοίαν uocat: secundam quũ æger cum sono spirat ἄσθμα: tertiũ si tantũ recta ceruice aërem captat ὀρθοπνοίαν. idem facit Hippocrates, nisi quòd & quartam speciem addit præfatis fermè præsentiorẽ lib. 3. prognosticorũ commẽto 17.

3 Vuluarumq; querelis] muliebribus locis, quæ γυναικεῖα nominant.

4 Præcordia mundat] per præcordia distinctionem intelligit Macer superiorũ uiscerũ ab inferioribus διάφραγμα, hanc Galenus uocat de usu partium corp. hum. 4. lib. Quidam septum transuersum, Plato φρένα, quòd eo inflammatione affecto mens quoq; lædatur, uelut idem Galen. 5. locorum affect. indicat.

5 Sic schiasim] Schiasim curat, hoc est, morbum quẽ ἰσχίαν Græci uocant in uertebris seu coxendicibus molestantẽ, quem Hippocrates describit libro de morbis, qui extra contingunt.

6 Menstrua soluit] suppressis mensibus medetur dilatando meatus.

7 Illorum extinguit] Pota herba priuatim scorpionum & phalangiorum morsibus aduersatur, inquit Dioscorid.

8 Sedat frigora febris] hoc est febriũ accessiones impedit.

9 Lumbricos necat] Lumbricorũ tria ponit genera Aegineta 4. lib. cap. 17. Galenum, ut assolet secutus, rotundos, latos, &

tos, & astandes. Hippocrates quarto de morbis saltem duo recensct latos, & ascarides Auicenna quatuor, hos omnes abrotanu decoctum Macer necare ait.

10 Curabis utrumque] *dolorum & oculorum inflammationem ablegabis, si emplastri modo in cydonio cum pane & aqua herbæ decoctum imposueris.*

11 Et uentri nocuis.] *omnia uentris animalia proscribere quidam testantur.*

DE ABSINTHIO. Von Wermuth. Wilsomen. Cap. 3.



De Ἀψινθίῳ Galenus de morb. curandis lib. 7. & 11. item de tuẽda sanit. lib. 6. & ad Glauconem de arte cura. lib. 1. in cura tertianæ febris, & simpl. med. lib. 6. Auic. lib. 2. cap 2. Mes. de sim. med. Aegineta lib. 7. Diosc. lib. 3. cap. 24. Serap. simplic. cap. 24. Plin. lib. 27. cap. 7.

IN primo calor esse gradu, uis sicca secundo
Dicitur Absinthi, stomachũ corroborat herba
Illius, quocunque modo qui sumpserit illam:
Sed melius 1 pluuiæ si sit decocta liquore,
Plin.libr. Et sic sub dio prius 2 infrigidata bibatur,
17.cap.7. Sic poterit uarijs eius succurrere morbis.
Hocque modo pellit lumbricos, mollit & aluum
Eius 3 & immodicum sedat sic sumpta dolorem,
Vrinam potu producit, menstrua soluit,
Illi 4 si nardum, quam profert Gallia iungas,
Et coniuncta teras, & mulsa trita resoluas,
Præcipuè tali purgabis menstrua potu,
Hoc quoque præstabunt cũ lana 5 subdita molli,
Si 6 siler & nardus, & acetum iungitur illi
Noxia deterges potu fastidia tali,
Gramina 7 si rutæ iungas huic, salque, piperque
Cumque mero tundens das hæc, decoctaue potu
Noxius en cũctus stomachi purgabitur humor,
Iri 8 coniuncta pectus mirè iuuat hausta
Acri cum uino trita se quilibet ungens
Non metuet culices, istoque fugantur odore,
Ictericis crudam dabis hanc apio 9 sociatam
Curat hepar sibi iungatur si Gallica nardus,
Splenque sibi iuncto potata iuuabat aceto,
Sic quoque fungorũ 10 depellit sumpta uenenum,
Obstat lethiferæ 11 cum uino sumpta cicutæ,
Sicque uenenatis o[illegible] t morsibus hausta,
Et claros oculo[illegible] m melle peruncta,
Hocque mod[illegible] superaddita prodest,
Decoctæque

Decoctæq; uapor obstrusas liberat aures,
Si manant sanie, cum melle terens, superadde,
Subuenit 13 anginæ melli, nitroq́; iugata.
Vulneribus prodest contrita recentibus illa,
Si superaddatur capitis 14 sic ulcera curat,
Pruritusq́; iuuat eius decoctio fotu.
Nausea 15 non poterit quenquã uexare marina,
Antea commixtam uino, qui sumpserit illam,
In lini panno si circumcincta geratur,
Inguinis & modicum fertur cohibere tumorem,
Olfactu somnum capiti uel subdita præstat,
Hanc sibi subponi, si non præsenserit æger,
Denigrat crines cinis eius, si bene mixtus
Cerato fuerit, & eo sic sæpè perunctus
A' tineis 16 tutam reddit, qua conditur, arcam,
Sub lingua 17 factum curat cum melle tumorem,
Liuoremq́; nigrum, qui circa luminis orbem
Apparere solet, purgabit idem medicamen,
Auris depellit sonitum cum felle bouino,
Duriciam splenis eius cataplasma resoluit,
Coniuncto 18 sibi melle sterȩ si subditur herba
Deficcabit eam, manereq́; menstrua cogit,
Ex 19 oleo fuerit uiridis si cocta iuuabit,
Nõ modicè stomachũ qui sit hoc unguine fotus,
Incausto 20 uino quo sit macerata soluto
Si scribis chartam mus non teret amplius illam,
Plinius 21 attollit magnis hãc laudibus herbam,
Romanosq́; refert sacris 22 ex more diebus
Dum quadrigarum cursu certare solebant,

Absinthi succum solitos donare bibendum,
In capitolina uectori sede locato,
Credemus precium pre cunctis reddere dignum
Illi quo firmam posset seruare salutem,
Quæ constat mundi precio 23 preciosior omni.

SCHOLIA.

1 SEd melius pluuiæ] *Auicennã sequitur Macer, qui 1.primi doct.2.cap.16.cæteris aquis pluuialem maximè præfert, quod eius materiam à uirtute cœli, eam eleuãte, subtiliari contingat: sed omnibus laudabiliorẽ scribit, quæ pluuialis æstiuo tempore collecta est, & ex fissa nube per tonitru inflammata & subtiliata cecidit. Galen. in libello de aquis, 5. cap. idem facit & Auerrois 2.tract. 1.partis cantic.*

2 Prius infrigidata] *Euenit quãdoq; ut nubes propter exhalationẽ terrestrem, quæ uentorum est materia, inspissentur, & aquam effundãt turbidam, ubi tutior uia est, sicut Macer hic monet, ut sub dio per stationem limpidiorem fieri curemus.*

3 Eius & immodicum sedat] *Damus decoctum absinthijs per pluuialem aquam, anodinum esse, hoc est mitigatiuũ immensi cruciatus tenasmonis, magis tamen asserimus, si aluus ex eo sæpiùs fota seu irrigata fuerit.*

4 Illi si nardum] *Celticam spicam intelligit, quæ diuretica est, cõplexioni participans spicæ Indicæ, de qua Galen. 8. simplicium, cap 2. Dioscor. lib. 1. cap. 7. Serap. cap. 52.*

5 Cum lana subdita molli] *Si cum lana carminata talis liquor, pessarij modo, locellis muliebribus imponatur.*

6 Si siler & nardus] *Siler montanum intelligit Massiliense, nõ Aethiopicum, quod falsò, ut solent, à seplasiarijs uenditur.*

7 Gramina si rutæ] *Ea ex Plin. mutuata lego, q graminis*

nullam

nullam mentionem facit. Vnde temporis iniuria uocabuli lapsum arbitror. Plin. lib. 27. cap. 7.
8 Iri coniuncta] *facile thoracem purgat (sunt Plinij uerba) cum iride sumptum absinthium. de iride sequitur cap. 43.*
9 Apio sociatam] *uel adianto.*
10 Sumpta fungorum uenenum] *fungis uenenum inest, quod stomachū distendit, inguen turbat, urinā impedit, pectoris & anhelitus constrictionē inducit, syncopē ac mortem denuò, quibus omnibus medetur absinthium cum aceto prælibatū.*
11 Lætiferæ cicutæ] *Cicuta algoris modum sic excedit, ut præsens uenenum sit. publica, inquit Plinius, Atheniensium pœna, qua & Socrates uitam dedit.*
12 Suggillatis] *id est, percussis.*
13 Subuenit anginæ] *faucium morbis, aut tumoribus.*
14 Capitis ulcera curat] *ἀλωπεκίαν innuit.*
15 Nausea non poterit] *Nauseas maris arcet in nauigationibus potum, inquit & Plinius.*
16 A tineis tutam] *Creditur, inquit Dioscorides, absinthium scrinijs, & armarijs inditū, tutas & incolumes à tineis seruare uestes, 3. lib.*
17 Sub lingua tumorem] *sub lingua tumorem intelligit, quem Rases 9. ad Alm. cap. 47. Ranulam uocat.*
18 Coniuncto sibi melle steræ] *uas per steram fœtui habile denotat, sicut in Scholijs primi capitis quoq; ostensum est.*
19 Ex oleo fuerit uiridis] *Dioscorides oleum ligustrinum commendat, uel rosaceum.*
20 Incausto uino] *quin etiam diluto absinthij Dioscorides inquit, dilutum librarium atramentum, incolumes à muribus librorum chartas tuetur.*

Plinius

21 Plinius attollit] *libro 27.cap.7.*

22 Sacris diebus] *Latinarum ferijs.*

23 Precio preciosior omni.] *Pythagoras Samius satis diuitem ratus est sanum, ideoq; edicto statuit ut singulis epistolis amicis quandoq; mittendis ceu genuinum præfigeretur exordiū, sanitatis optio. de qua re multa habentur in nostra tuendæ sanitatis ratione Dialogo primo,*



DE VRTICA,

Von Nesseln. Cap.4.

De Vrtica quæ à Græcis ἀκαλήφη ἢ κνίδη *uocatur Galen.li.2, de alimen. cap, 52. & lib.6. simp, ca.13. & ad Patern. cap.283. Auicen.can.2.cap.719.Diosc. 4.cap.89, Plin.lib.21.ca. 15. & 22.cap.13.*

GRæcus Acalcephen, nos urticam uocitamus,
Feruida nō modicè uis illi dicitur esse,
Vnde nec immeritò nomen sumpsisse uidetur,
Tacta 1 quòd exurat digitos urtica tenentis.
Hæc solet ictericos 2 cum uino sumpta iuuare,
Illius semen 3 cholicis cum melle medetur,
Et tussim ueterem curat si sæpè bibatur,

Frigus

Frigus pulmonis pellit, uentrisq́; tumorem
Omnibus his prodest puluis cum melle iugatus,
Aut succus uiridis cum uino sæpius haustus,
Cum sale de folijs eius factum cataplasma [4]
Vlceribus prodest, & uulnera sordida purgat,
Et contra morsus ualet hoc cataplasma caninos,
Hoc cãcros [5] & parotidas [6] luxataq́; [7] curat.
Hocq́; reformatur caro quę discessit ab osse,
Et solet humores desiccare nocentes.
Acri cum uino radix contrita tumorem
Compescit splenis, podagræ [8] sic subuenit illa,
Omnibus & morbis sic subuenit articulorum,
Omnib. his prodest superaddita, uel sibi iuncto.
Si coquis hãc oleo, foueasq́; hoc unguine mẽbra,
Naribus impositus succus, foliúmue, cruorem
Elicit, innata est illi uis tanta caloris.
Quòd si manantem cupias retinere cruorem,
Vrticæ succo frontem line, reprimit illum.
Si supponatur cum mirrha menstrua pellit.
Si claudit [9] uuluam matrix humore grauata,
Vrticæ folijs reserabitur illa fricata,
Cum uino bibitum Venerem semẽ mouet eius,
Et melius tritæ si iungas melq́;, piperq́;.
Et sic cum uino prædicto more bibatur
Pleureticos [10] pectus, pulmones, adiuuat eius
Semen, si sumptum fuerit cum melle iugatum.
Cum mulsa bibitum, lotiũ producit abundans,
Herba recens eius olerum si more coquatur,
Detur & illius decoctio, molliet aluum.

Ore

Ore diu clausus succus si uoluitur eius,
Vuæ 11, non modicum poterit sedare tumorem:
Sudorem mouet ex oleo decocta perunctis,
Si quadrupes quæcunque maré præferre recusat,
Vrticæ folijs illius uulua fricetur.
Sic naturalem calor excitat illi calorem.
Defluuium capitis, si succo seminis huius
Vngas sæpé caput reprimit doctore Galeno.
Illius semen collectum tempore messis
Et desiccatum, multis erit utile causis,
Omnibus his prodest puluis cum melle iugatus.

SCHOLIA.

1 TActa quod exurat] *ob igneum pruritum urtica nomen sortita est.*

2 Hæc solet ictericos] *Icterus morbus est, arquatus alijs dictus, aut regius morbus, ex obstructo hepate plerunque eueniens, & ab ἰκτέρῳ nomen habens, auicula quippe quam miluium interpretantur, & Plinius Galbulam uocat. de hoc morbo Auic. 15. Fen. tertij can. uulgò gelsucht.*

3 Colicis medetur] *κωλικοὶ uocantur, qui colica laborant. hoc est morbo cuius minera est in intestinis inferioribus aut crassioribus, cum nausea, ex retentione illius, quod naturaliter egredi deberet, sicut flatus esse possunt, feces, humores, aut uermes quandoque.*

4 Cataplasma] *emplastrum ex herbis & oleis.*

5 Hoc cancros] *Cancer idem est, quod καρκίνωμα, morbus à similitudine cancri: atrobilarius, cum duritia & quadã inflammatione.*

6 Et parotidas] *παρωτίδας iuxta aures abscessus uocamus,*

qui

qui subinde post chronicas febres ui morbi impetuosè emergunt.
7 Luxataq;] hoc est, membra à suis locis mota.
8 Podagrę subuenit] Podagram non esse morbū incurabilem in lib. nostro succisiuarū lectionum ostendimus Dialogo 5.
9 Si claudit uuluam] per uuluam interius matricis orificium intelligit.
10 Pleureticos] Pleuritis abscessus est lateris, in pellicula obducente costas.
11 Vuæ tumorem] hoc est, casum uuulæ, das zepflin.

DE ALLIO. Von Knoblauch. Cap. 5.



De Allio quod à Græcis σκόροδον dicitur, uide Galen. lib. de morb. curan. 14. Hippoc. de uict. ratio. morb. acut. li. 2. & li. 4. et li. de morb. qui extra conting. Aegin. lib. 7. ca. de scordio & allio, & lib. 1. cap. 76. Cœlius Aurelia. 2. chrononiôn cap. 14. C. Plin. 2. lib. 4. de re medica, Serapius lib. aggregat. cap. 331.

Σκόροδον à Græcis sunt allia dicta Latinà,
Huius uim medici calidã, siccam'q; periti,
In quarto posuêre gradu mansum, uel inunctum,
Curat, quos serpens, uel scorpius intulit ictus.
Et nocui uermes triti pelluntur odore.
Sanat & appositũ morsus 1 cum melle caninos,
Et mulsa coctum commixtum cui sic acetum
Et bibitum uentris uermes, tineas'q; 2 repellit.
Ex oleo cum ueste sua si decoquis illud,
Morsus pestiferos reddes hoc unguine sanos,
Corpus & attritum cura sanabis eadem,
Vnguine uesicę dolor, & tumor hoc reprimũtur.
Ipse refert Hippocras 3 educi posse 4 secundas,
Fumo combusti si uulua diu foueatur,
Pulmonis uarias coctum cum lacte querelas,
Potatum'q; iuuat, uel crudum sæpè comestum.
Cum centaurea 5 Diocles dare præcipit illud
Hydropicis 6 sic humores desiccat aquosos,
Idem Nephreticis 7 elixum sumere iussit,
Pythagoras illo fuit usus cum coriandro
Et uino, causas sic curans ictericorum,
Et sic potatum dicit quòd molliat aluum.
Cum'q; faba coctum capitis sedare dolorem
Dicitur, attrito si tempora perlicis illo,
Anseris hinc adipem iunge, tepidum'q; dolenti
Infundas auri, præclarè subuenit illi,
Elixum tussim iuuat & suspiria sedat,
Clarificat raucam crudum, coctum quoq; uocẽ:
Sed

Sed magis elixum iuuat illam sæpè comestum.
Adiuuat incoctũ pulti, sumptumq́; 8 tenesmon
Porcino iungens adipi si conteris ipsum,
Nõ modicos reprimes superaddẽs sępè tumores
Hunc ignoratum non lædet potus aquarum,
Hæc diuersorum mutatio facta locorum,
Allia qui mane ieiuno sumpserit ore.

SCHOLIA.

1 MOrsus caninos] *morsus rabiosi canis.*

2 Tineasq́; repellit] *id est, lumbricos.*

3 Ipse refert Hippocras] *lib. de fœminea natura.*

4 Posse secundas] *hoc est, embrionis armarium, quod secundinam uocant, & Galenus choran commento 49 in aliquem, aphoris. 5. libri appellitat.*

5 Cum Centaurea] *De Centaurea sequitur cap. 53.*

6 Hydropicis] *qui morbo laborant intercutaneo.*

7 Nephreticis] *νεφρῖτις renum affectus est, aliquando ex innato lapide, aliquando ex apostemate, aut ulcere, non dissimilis cholico.*

8 Sumptumq́; tenesmon] *τηνεσμὸς uulgò tenesmus, uoluntas est egerendi citra effectum.*

DE PLANTAGIne. Spitzigerwegrich. Schaffzungen.
Cap. 6.

De ἀρνογλώσσῳ Gal. libro de morbis curãdis 5. & li. Simp. ca. 56. Diosc. lib. 2. ca. 115. Plin. lib. 25. ca. 8. Serap. lib. agg. cap. 213. L. Apuleius li. de Herbar. uirtut. cap. 1.

Herbarum quæ nostra lingua Plantago uocatur,
Hanc ἀρνογλῶσσον Græcus uocat, est quia linguæ
Agninæ 1 similis folijs. Plantaginis huius
Sunt geminæ species, & maior prima uocatur:
Altera uerò minor, quam uulgò lanceo latam
Dicunt, quòd folijs 2 ut lancea surgat acutis.
His inflammandi, desiccandiq́ue uocatur
Tertius esse gradus: maiorem uim tamen esse
Maior dicunt, nimis humida uulnera siccat.
Si superaddatur cum melle, & sordida purgat
Cum sale, sicut olus si iuncta coquatur aceto.
Ventrem restringit nimium, si mansa fluentem,
Si supradictis lens concocta, iuuabit
Sic dysentericos 3 melius cibat, & ciliacos: 4
Stringit manantem superaddita sæpè cruorem,

Et nigris maculis fertur reparare colorem,
Et scrophas 5 spargit superaddita cum sale trita:
Hydropicis ut olus decocta, comestaq́ꝫ prodest,
Sic iuuat asthmaticos, fertur iuuare 6 caducos.
Sordida purgabit bene uulnera 7 quælibet oris,
Ore diu tentus si succus uoluitur eius,
Hic intus fusus curat syringia 8 succus,
Et dolor hoc auris sedabitur, & sacer 9 ignis
Fert hæmophthoicis 10 hic opem si sæpe bibatur
Per se fortior est, si sit coniunctus aceto.
Sicq́ꝫ iuuat 11 phthisicos, iniectus uerò per anum,
Stringit nō modicum fluxum dysentericorum,
Pellitur ex oculis tumor hoc, feruorq́ꝫ perunctis,
Sæpius hanc ipsam si dentibus atteris herbam.
Gingiuas 12 reprimet tumidas, & sanguine ple-
Sicq́ꝫ solet dentis cōpescere sæpè dolorem, (nas,
Succus dum lana matrici subditus eius
Stringit manantem nimiū siccando 13 cruorem,
Cunctis prædictis eius decoctio causis,
Prodest, & potus cum uino seminis huius
Vesicæ, renumq́ꝫ iuuat potando dolorem.
Dicunt non nasci scrophas gestantibus eius
Radicem collo suspensam, uis ibi tanta est.
Radices eius tres attere, iungito tritis
Vini tres cyathos, & aquæ sic sit modus idem,
Hæc nondum tremulo potanda dabis febrienti:
Sic pelles febrem, cui dat lux 14 tertia nomen,
Bis binæ quocꝫ quartanis prodesse putantur,
Cum totidem uini cyathis si dentur & amnis.

Cuncta potest plantago minor prędicta iuuare,
Quamuis non tantas uires uideatur habere,
Precipuè succus curat plantaginis huius,
Quod iuxta nares, uel lumina nascitur ulcus:
Si superaddatur cum lanis mollibus illi,
Perq; nouem cataplasma dies istud renouetur,
Eius si succo tepido uenter foueatur,
Acri depulso sanabitur ille dolore.
Lumbricos succus depellere dicitur eius,
Si porcina uetus axungia iungitur illi,
Sedabit duros istud cataplasma tumores,
Parotidas, uulnusq; recens hoc adiuuat unguem
Ante duas horas quartanę, quę tremor 15 ægrum
Vexet, si succum biberit plantaginis huius,
Sentiet eximia facili medicamine curam.
Eius 16 potatum depellit sperma secundas,
Si uia longa pedum mouet (ut fit sæpè) dolorem
Acri cum uino superaddita trita iuuabit.
Cum passo succus bibitur si sæpiùs eius,
Vesicæ uarijs fertur succurrere morbis.
In desiccando uis est plantaginis ingens,
Maioris queat ut (ueluti 17 cauteria) corpus
Appositum siccare, refert, ut Plinius autor,
Composuit librū Themison 18 de uiribus eius,
In quo præclaris celebrauit laudibus illum.

SCHOLIA.

1 Linguę agninę similis] *ἄρνα agnū sonat, γλῶσσαν linguā: sed multi nō arnoglossam, uerū qa septē crassioríb. fibris, quasi costis in dorso, per longitudinē distincta est.*

est, pentapleuram dicunt, quod πλευρὰ costã sonet. Dioscorides, quòd non semper fibrarum respõdeat numerus (uariant enim fibræ pro latitudine folij) polyneuron uocat, quasi multi neruia: alij pentapleuron, quod est quinq; neruiam.

2 Qui folijs surgat acutis] Plantago maior à foliorum latitudine, Germanis braitẽ wegerich. Minor, quia foliũ eius arctiùs in acumen, uelutiq; in lanceæ mucronem fastigiatum desinit, Spitzenwegerich rectissimè dicitur

3 Hic dysentericos] id est, eos quos intestinorum disturbant cum ulceratione tormina.

4 Ciliacos] κοιλιακοὶ uocantur, qui aluum induratam habent, quæ nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit.

5 Et scrophas spargit] id est, dissoluit. Scropharũ Auicenna meminit secunda primi, doct. 1. cap. 5. & sunt abscessus à phlegmate, utplurimum in collo aut sub ascellis emergentes.

6 Iuuare caducos] id est, morbo affectos, quẽ hieranoson, quod est, sacrum nominant, dum sacram corporis partem, cerebrum quippe possideat, in quo animæ sedes recondita. Herculeũ multi dicunt, ab Hercule, quem fortitudine uincat, aut comitialẽ, à comitijs, die fallent sucht.

7 Vulnera quælibet oris] pustulas intelligit oris candidas, quas Rases qui 9 ad Alm. alcolas uocat.

8 Syringia succus] hic succus fistulas curat, quæ ulcera sunt profunda à similitudine instrumenti dicta, à Græcis σύριγγις nominata.

9 Et sacer ignis] der brand, quem sacram uocant, quod præstantissimũ quemq; inuadat, ac saltem cum morte relinquat: alij Persicum ignem dicunt.

10 Fertur hemophthoicis.] cruorẽ exspuentib. de quib.

Auicenna decima Fen. tertij tract. tertio, cap. 1.

11 Sicq; iuuat phthisicos] *Phthisis expuitio puris est cum tussi uehementi.*

12 Gingiuas reprimet] *Gingiuas, id est, carnes, quæ dentes ambiunt: & Pollux* οὖλα *&* ὄυλα *nominat.*

13 Nimium siccando cruorem] *mẽses exundantes nimium inhibet, Galeno referente 5. de morb. curand.*

14 Cui dat lux tertia nomen] περιοδικὴν, *quæ de tertio in tertium affligit, innuit. Hanc tertianam uocant.*

15 Quã tremor ægrũ] *ante accessionem seu paroxismum.*

16 Eius potatum sperma] *id est, liquor uel succus ex eo.*

17 Veluti cauteria] *est cauterium instrumentum, quo morbos subinde curamus, aliàs uix curabiles: est autem actuale & potentiale. De quibus multa Albucases 1. lib. cap. 1.*

18 Themison de uiribus eius] *Themisonẽ Plin. fuisse medicũ scribit 25. li. ca. 8.*



DE RVTA. Von Rauten. Cap. 7.

D E ruta Græcis Πήγανον dicta. *Gal. Simplic. li. 7. cap. 119. & lib. 8. cap. 48. Aeginet. lib. 7. Auic. 2. canon. capite de Ruta, Dioscor. libro 3. cap. 47. Theophrast. de plantis, libro 5. Plinius libro 19. capite 8. & cap. 7. & 10. & lib. 20. cap. 13.*

A' medi-

A Medicis Rutę uis feruida dicitur esse,
Siccaq́; fertur in his gradus illi tertius esse:
Vtilis est ualde stomacho si sæpè bibatur,
Expellit 1 partus bibita, Veneremq́; coërcet.
Tussim si bibitur, compescit, menstrua 2 purgat.
Si coquis hanc in aqua, cui nimiū iunxeris acre,
Compescit talis decoctio tormina 3 uentris,
Pulmones iuuat, & pectus, morboq́; medetur
Costarū, quem pleuresim 4 uocat Attica lingua:
Artheticos 5 schiasimq́; iuuat, febribusq́; mede-
Hausta, uel ex oleo, uiridem si coxeris illam, (tur
Et foueas tepido patientes ante tremorem.
Matricis prodest, intestiniq́; tumori
Hoc unguen, uel clysterio 6 si funditur intus,
Haustaq́; cum uino prodesse ualebit utrumq́;,
Lumbricos oleo decocta, & pota repellit,
Cum caricis 7 decocta diu, uiniq́; liquore
Prosunt hydropicis 8 si sunt superaddita nocte,
Cruda comesta recens oculos caligine purgat,
Et melius marathri 9 cum succo, felleq́; 10 galli
Melleq́;, si succus ex æquo iungitur eius,
Indeq́; sint oculi patientis sæpè peruncti,
Cum oleo miscens roseo, nec non & aceto,
Illius succum, capitis curare dolorem
(Quāuis immodicū) poteris hoc sæpè perungēs.
Naribus expressus si succus funditur eius,
Sistit manantem bene desiccando cruorem,
In corico mali granati si tepefactum
Auribus infundas depelles inde dolorem,

Ceruſſæ [11] roſeoq́; oleo miſcens, & aceto
Illius ſuccum, mirandum conficis unguem
Ad depellendum ſacrum, quem dicimus ignem,
Ad ſcabiem dertę, quæ dicitur herpeta [12] Græcè,
Et Græcè dictas achoras [13] hoc unguine purgas,
Vlcera ſunt capitis humore fluentia [14] pingui,
Curat & ozœnas [15] immiſſum naribus, hęc ſunt
Quę grauiter fœtent in naribus ulcera nata.
Obſtat pota mero, uel cruda comeſta, uenenis
Hoc Mithridates rex Ponti ſępè probauit,
Qui rutę folijs uiginti, cum ſale pauco
Et magnis nucibus binis, caricisq́; duabus,
Ieiunis ueſci, conſurgens mane ſolebat,
Armatusq́; cibo tali quaſcunq; ueneno
Quilibet inſidias ſibi tenderet, haud metuebat.
Muſtelęq́; docent obſiſtere poſſe uenenis,
Mirificè rutam comedunt, quę primitus illam
Cum pugnaturę ſunt cum ſerpentibus atris.
Cum butyro, modicoq́; oleo decocta tumorem
Matricis ſubiecta tepens fugat illa, coliq́; [16]
Et cunctis intus morbis ſic ſubdita prodeſt,
Hac etiam teſtes poteris curare tumentes
Cum folijs lauri, bene tritam ſi ſuperaddes.
Ex hac antidotum non paucis utile cauſis
Conficitur, medici dicunt diapeganon illud,
Peganon [17] in Gręca lingua, quod ruta uocatur,
Illius antidoti confectio talis habetur:
Pondere iunge pari nitrũ [18] piper, atq; ciminũ,
De tribus his quantum, de ruta ponito tantum,
Sed

Sed prius ex acri uino macerare ciminum
Conuenit, in ferro post assari calefacto,
Omnia deinde simul bene trita ex melle iugabis
Pectoris & lateris, iecoris, renumq; dolores.
Hoc ex antidoto curantur sæpè comesto
Extenuat 19 bilem, mollit sine tormine uentrem,
Confortat stomachū, facit ut benè digerat escam.

SCHOLIA.

1 EXpellit partus bibita.] *genituram expellit in cibo, potuq; ruta Dioscor. inquit.*

2 Menstrua purgat.] *cit menses.*

3 Tormina uentris.] *maximè si rutæ concoctum fuerit siccum anethum.*

4 Pleuresim Attica lingua.] *sic Græci: nos morbum costalem dicimus.*

5 Artheticos, schiasimq; iuuat.] *artheticam, Græci ἀρθρίτιν, quod est, morbum articularē uocant, & est arthetica genus ad omnes morbos neruorū, ut σπασμὸς est χειράγρα, ποδάγρα, & ἰσχιάς. genus hoc Schiasim Macer nominat.*

6 Vel clysterio.] *id est, lauamento, quod κλυστήριον Græci nominant.*

7 Cum caricis.] *carica ficuum genus est.*

8 Prosunt hydropicis.] *anasarcha laborantibus, inquit Dioscorides, uel intercutaneo morbo.*

9 Marathri cum succo.] *cum succo fœniculi.*

10 Felleq; galli.] *Fellis seruādi ad colyria, rationem pulchrè Dioscorides enarrat li. 2. cap. 70. ubi Marcel. Vergilius uolucrū fel, in siccando potentius esse, quàm uel omnium quadrupedū scribit, maximè galli, perdicis, & accipitris.*

11 Cerussæ, roseo'que oleo] *Modum ostẽdere quomodo cerussa fiat longum est. Vnde satis duximus descriptionem indicasse 5. lib. Dioscorides capite 57. qui eandem uenenum esse testatur lib. 6. cap. 22.*

12 Herpeta Græce] ἑρπὴς ἐσθιόμενος *ulcus est, à serpendo & corrodendo, etiam ad ossa dictum.*

13 Achoras] ἄχωρ, *capitis ulcus est, squamas furfurum instar habens.*

14 Humor fluentia ping.] *capitis apostema innuit, quod fauum dicunt, à similitudine faui mellis.*

15 Curat & Ozenas] *Circa nares quãdoque ulcera emergũt, Græcis ozena dicta, quæ Macer etiam prædicto unguine curanda monet, sed Cor. Celsus alias adscribit curas sexto libro 21. ca. 8.*

16 Coli'que] *ultimi intestini.*

17 Peganon in Græca] πήγανον *Græci rutam dicunt.*

18 Nitrum atque ciminum] *Nitrum mineræ genus est, salpeter, cuius Dioscorides meminit quinto lib. cap. 48. Ciminum autem semen est diureticum, Rõmisch kimich, cuius Galenus usum describit 7. Simp. cap. 59.*

19 Extenuat bilem] *choleram rubeam.*

DE APIO.



DE APIO.

Von Epffich oder Eppich.

Cap. 8.

Σέλινον Gal. describit lib. 7. Sim. ca. 37. & ca. 76. & lib. 8. cap. 96. Diosc. lib. 3. capitib. 67. 68. 69. 70. 71. Plin. Natur histor. li. 20. cap. 20. & li. de Re medica 4. cap. 2. L. Apuleius lib. de herb. ca. 9. Cassius Felix cap. de Macedonico. Aegineta li. 7. cap. Selinon.

Est apium dictũ quo'd apex hãc ferre solebat
Victoris, ueterũ fieret dũ more 1 triumphꝰ,
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides 2 morem tenuêre sequentes.
Ast alij dictum credunt, quo'd apes uehementer
Illius soleant auitè decerpere flores.
Hanc herbam 3 σέλινον solet Attica dicere lingua
Virtutis calidæ, siccæ quoq; dicitur esse.
Tertius à medicis datꝰ est gradus huic in utroq;,
Illius succo si candida 4 mica terendo
Panis iungatur, oculi sedare tumorem
Dicitur, emplastri noctu superaddita more,
Sic'q; ferunt mammis prodesse tumentibus illã,
Sedat feruorem stomachi, pellit'q; tumorem,

Et

Et quicquid uenti creat, includiturq́ nociui
Desiccans potis assumpta repellit apertis,
Prouocat urinas hæc cruda comesta, uel hausta,
Sed mage radicum facit hoc decoctio sumpta.
Hoc itidem semen operatur fortius haustum
Tota uenenatis occurrit morsibus herba,
Sed semen potius uel apozima 5 proderit eius,
Et bibitur tussimq́ modo sedabit eodem,
Ventrem constringit, uomitum potata coërcet,
Lymphæ commixtum quoq; si iungatur acetũ,
Aegris amissum fertur reparare colorem,
Cruda à ieiunis fuerit si sæpè commesta
Vna quaq; die uexantem corpore febrem,
Cum lympha potata fugat febris ante tremorẽ,
Hydropicos, & splen tumidũ iuuat illa, iecurq́
Si cum fœniculi succo contrita bibatur,
Hacq́ superposita turpis lentigo 6 fugatur,
Illius succus farris cum polline mixtus
Atq; oui lachryma 7 uulnus benè purgat, & ulcꝰ,
Si superaddatur emplastri more frequenter.

SCHOLIA.

1 VEterum more triumphus.] *Coronandi morem per apium, nacto triumpho, Plutarchus 4. Symposia. côn tãgit, & Angel. Polit. 12. li. epist. ad Merulã decima.*

2 Dicitur Alcides.] *Hercules, qui sic ab auo suo, patre Amphitryonis nominatus est.*

3 Hanc herbam Σέλινον.] *quasi paludibus impulsam, paludosis enim gaudet, & in ijs enatum lætius exurgit.*

4 Candida mica panis] *panis hordeacei.*

5 Apozima

5 Apozima proderit] *Apozima decoctio est diuersorũ medicaminum.*

6 Turpis lentigo] *deformis, uulgò riselen, Græcè φακοί.*

7 Oui lachryma] *albumen intelligit.*



DE MALVA
Von Pappel.
Cap. 9.

Μαλαχὴ Græcè Latinè malua, per Galenũ describitur li. 7. Sim. cap. 91. Auicenna cano. 2. ca. Althea. Dioscor. lib 2. cap. 10. Serap. agg. cap. 76. Oribas. de cõfect. ciborũ lib. 3. cap. de istis quæ humect. Pli. secundus de re medic. li. 1. cap. 5. in Nat. hist. lib. 20. cap. 21.

ALteam maluæ speciem nullus negat esse,
Alteamq́ꝫ uocant illã quod crescat in altũ,
Hanc ipsã dicunt Euiscũ, quod quasi uisco
Illius radix contacta madere 1 uidetur,
Agrestisq́ꝫ 2 solet à multis Malua uocari,
In mulsa coctus flos eius uulnera purgat,

Vel

Vel si cum uino tritum florem superaddas,
Spargere sic scrophas 3 anumq́ iuuare dolentem
Dicitur, hocq́ modo conquassatis medicatur,
Elixata prius radix adipsq́ terendo
Addito porcino, therebintinæq́ 4 tumores
Matricis curat, reliquosq́ leuare dolores
Dicitur, illius neruos sic ipsa relaxat:
Rumpit, uel spargit sic apostemata dura,
Omnes has causas elixatura iuuabit,
Si loca morborum foueantur sæpe tepenti,
A' dysentericis radicum coctio sumpta
Cum uino, fluxum stringens compescit eorum,
Et pellit tardas 5 hæc coctio sumpta secundas,
Et prodest hæmophthoicis 6 lapidesq́ repellit,
Vesicæq́ solet uarijs succurrere causis.
Acri cum uino contritum semen oliuæ
Iungito, deformes maculas hoc unguine pelles,
Cum pusca 7 potata potest obstare uenenis,
Elixata prius, cum melleq́ trita, replebit
Vulnera 8 quæ caua sunt, si sit superaddita sæpe:
Sic quoq́ duricias mollit, leniq́ rigores,
Decoctis oleo folijs factum cataplasma,
Quosuis pestiferos morsus, combustaq́ curat.

SCHOLIA.

1 MAdere uidetur] *Theophrastus maluã humore multo abundare scribit, ideoq́ procliue solẽ, ac si rationis compos, insequi testatur, qui ui & calore suo, id quod de humido superest, exugat, ut lætius uirescat. Existimans autor indé*

inde naturam homini benè consuluisse, quæ per oleris folium tem poris mensuram, & horarum quodammodo ostenderit rationem etiam nubilo cœlo, dum sic colligimus meridianas, & alias etiam utrinq; horas. Maluæ flores cum sole circumagi, Columella carmine suo quoq; ostendit, dicens:

Et Moloche prono sequitur quę uertice solē.

Ibi antiquo more non Malacham, sed Molochen pro malua dixit Columella. Athenienses primi Malachan maluam nominarunt.

2 Agrestis solet malua] Hîc Macer agrestis describit maluæ uirtutes, quæ sua sponte in locis nascitur incultis: & quasi molua, ut Varro inquit, dicitur quòd uentrē molliat. μαλαχεῖν enim mollire est Græcorum idiomate. Quòd uentrem molliat Martialis libro 10. hoc disticho declarat:

Exoneraturas uentrem mihi uillica maluas
Attulit, & uarias quas habet hortus opes.

Altera malua quam hortensem nominant, & in arborem fermè grandescit baculi instar, hoc loci Macer non tangit. uulgò Ein rosen, quòd tempore messis floreat.

3 Spargere scrophas] dissoluere. De scrophis dictum est.

4 Therebintinæq;] Therebintū resina ex arbore eiusdem nominis est, ex Arabia Petræa, Syria, Cypro, Aphrica, aut ex Cycladibus ad nos portatilis, bonitate alias omnes uincens resinas: bonitate tamen excedit, quæ lucida & candida, Diosc. lib. 1. cap. 78. Galen. ad Paternianum cap. 147.

5 Tardas secundas] non statim partum sequentes.

6 Hæmophthoicis] De his dictum est.

7 Cum

7 Cum pusca] *Pusca per decoctionem fit ex duabus partibus aquæ, & tribus uini, Galen. in lib. Dinamid. quidam loco uini acetum habent, & Oxycraton uocant.*

8 Vulnera quæ caua] *ἰσχάδρας intelligit, hoc est, ulcera cauernosa & crustis intecta.*



DE ANETHO.

Von dyllen oder hochkraut. Cap. 10.

Ἄνηθον describit Gal. li. 6. Sim. cap. 43. & lib. ad Paternianũ ca. 4. Dioscor. lib. 3. cap. 60. Plin. li. 19. cap. 8. & li. 20. ca. 18. Aegin. li. 7. Itẽ Plin. de re med. lib. 4. cap. 27. & L. Apuleius de herb. histor. cap. 122.

A Medicis calidum, siccũq; refertur anethum.
Et dicũt quod sit gradus huic in utroq; secundus.
Lac dat abundanter eius decoctio sumpta
Nutrici, stomachiq; solet depellere morbos:
Tres cyathos eius tepidæ si sumpserit æger,
Indicio ructus sit, qui demonstrat apertum
Os stomachi 1 uentumq; 2 per hoc exisse nociuũ,
Atq; grauis tali sedatur nausea potu.
Prouocat urinas, obstantia queq; repellens.

Matri

Matricem iuuat, bene si foueatur eodem.
Cum tepido tritum patiens si potet aceto,
Intestinorum curat, uentrisq; dolorem.
Hoc etiam potu digestio tarda iuuatur,
Vnde minor fieri uis egestiua uidetur.
Assiduè bibitum uisum nocet, & genitale
Claudit iter, siccans humorem 3 seminis intus,
Vuaq; 4 si nimio turgens humore grauetur
Suspendit puluis combusti seminis eius,
Appositus digitis, aut intus clystere fusus:
Acrior esse cinis radicum dicitur eius,
Rodit crescentes cinis hic in uulnere carnes.
Vulnera 5 quæ serpunt, & sordida uulnera curat,
Vlcera præcipuè membri curare uirilis
Dicitur iste cinis infusus sæpius illis,
Olfactu reprimit singultum semen anethi,
Assatum & feruens si sæpius olfacit æger.
Dicunt feruores oculorum tollere posse
Eius radices tritas prius, appositasq;
Apponas hæmorrhoidis 6 si semen anethi
Vstum, curat eas, & condylomata 7 soluit,
Flos oleo si decoquitur medicabile redddit.
Illud præcipuè natis de frigore causis
Prodest, & capitis compescit sæpe dolorem.
Neruorum laxat 8 tensuras, frigora pellit.

SCHOLIA.

1 OS stomachi] *id est, uentriculi ostiolum, quod Galenus etiam cor stomachi uocat, commene, in tertio Prædictionum, Hipp. cap. 3.*

2 Ventum exiſſe nociuum] *id eſt, eructationẽ acetoſam, quam ὀξυρεγμίαν uocant, à cauſa frigida ortam.*
3 Humorem ſeminis intus] *Venerem impedit.*
4 Vuaq́] *de uua dictum eſt, quæ σαφυλὴ dicitur.*
5 Vlcera quæ ſerpunt] *γάγγραιναν, quæ ſpecies cancri eſt, intelligit, aut ulcera phagedena, cum inflammatione oſſa depaſcentia.*
6 Apponas hæmorrhoidis] *id eſt, fluxui ſanguinis ex capitibus uenarum, quæ ſunt in ambitu podicis, de quibus Galen. abbreuiat. lib. 6. cap. 79.*
7 Condylomata ſoluit] *hoc eſt, tumores, ac nodos in ſi-cteri, id eſt, in extremitate podicis emergentes. de quibus multa Aegineta lib. 6. cap. 80.*
8 Neruorum laxat tenſ.] *neruos emollit indignatos.*



DE BETONICA.

Von braun Betonick.

Cap. 11.

DE κέςρῳ Galen. lib. 8. Simp. cap. 20. & ad Patermanũ cap. 285. Dioſc. lib. 4. cap. 1. Serap. lib. Agg. cap. 322. Plin. li. 25. cap. 7. & li. 26. cap. 7.

BEtonicã ſoliti 1
ſunt Ceſtron 2
dicere Græci,
Vrinas potata ciet, lapidesq́ repellit,

Fert

Fert hæmophthoicis 3 cũ pusca sumpta iuuamen
Hydropicosq́ iuuat cum uino, melleq́ sumpta.
De folijs eius tritis factum cataplasma,
Non modicum prodest oculis, quos leserit ictus:
Illius succus roseo commixtus oliuo
Auribus infusus, uarios fugat inde dolores.
Betonicæ puluis cocto cum melle iugatus
Hemphecos 4, tussimq́ iuuat, suspiria 5 sedat:
Et stomachi uarios sumptus iuuat ille dolores,
Si febrit ex 6 calida, cum uino si febris adsit.
Cum mulsa bibitus idem puluis, mouet aluum.
Cum sale contritis folijs cataplasmate facto
Vulnera curabis, fuerint quæ facta recenter,
Tritaq́ fracturæ capitis hæc sola medetur.
De folijs eius elixis fit cataplasma,
Vtile non modicum uarijs uicijs oculorum,
Restringit lachrymas oculorũ mansa, uel hausta:
Hac etiam caligo solet metuenda repelli,
Aequo si rutæ fuerit cum pondere iuncta,
Et sic cum lympha sumatur trita tepenti,
Sic oculis nocuus sanguis per subteriora
Dicitur expelli, sic lumina libera reddit:
Sumpta hac cum tepida purgatur uomica 7 dira,
Pectoris & morbi potu curantur eodem.
Splen iuuat illius decoctio sumpta, iecurq́
Vncia Betonicæ socianda quaterna uetusti
Vini cum cyathis tribus, at his addito grana
Viginti septem piperis simul hæc bene trita
Haustaq́, purgabunt renes, pellentq́ dolores.

Vncia cum cyathis calidæ potata duobus
Dicitur immodicum uentris sedare dolorem,
Hæc tussim cũ melle fugat, uentrẽ quoqꝫ mollit.
Vna quaqꝫ die 8 febre si uexabitur æger,
Vncia iungatur plantaginis una, duabus
Betonicæ, sic cum tepida contrita bibatur
Antea quàm febris prænuncia frigora fiant.
Vncia Betonicæ calidæ cyato resoluta
Prodest hydropicis, si sit potata frequenter.
Radicum puluis cum mulsa tritus & haustus,
Humores uelut helleborũ 9 uomitu citò purgat.
Bis binas drachmas præcepit Plinius 10 harum
Radicum dare cum passo, mulsoue bibendas.
Præcipuè phlegma uomitu purgabitur isto,
Cum mulsa bibitus prodest puluis foliorum
Ruptis 11, atqꝫ steras potus leuat ista cadentes 12.
Cum uino sumptus obstat potata uenenis,
Præcipuè semen: quod si desit, datur herba
Vncia Betonicæ cum uino sumpta tepenti.
Ictericos curat, cum mulsa menstrua purgat,
Pondere uerò fabæ 13 puluis cum melle uoratus
Post cœnã, stomachũ iuuat ut benè digerat escã.
Si de Betonica uiridi sit facta corona
n.lib.25. Circa serpentes (ut Plinius asserit autor)
.s. Audebunt nunqꝫ positam transire coronam,
Sed morsu proprio pereunt, & uerbere caudæ.
Omnibus antidotis Meniacus eam sociari
Pręcipit, ut stomacho magis herbã omnibus aptã
Plinius hanc, inquit, qui secum gesserit herbam,
A' nullo

A' nullo poterit nocuo medicamine lædi:
Et dicunt quod ea cum uino sæpius hausta, *Plin.lib.*
Plumbeus abscedat color, & melior reuocetur. *cap.11.*

SCHOLIA.

1 BEtonicam soliti] *Vetonicam quidam scribendũ censent, & ab inuentoribus sic nominatam. Vetones enim Hispani hanc inuenisse traduntur, 25. Plin. cap. 8.*

2 Cestron dicere Grai] *Cestron à uarietate, & copia remediorum Græci hanc herbam nominant, qui etiam alia multa hac appellatione proferunt. Telum quippe, quod primo in Persico bello inuentum fuit, opus interpunctum, item acuũe pictum.*

3 Fert hæmophthoicis] *de istis & pusca dictum est.*

4 Hemphecos iuuat] *id est, pulmonarios, qui purulentas excreatione eijciunt.*

5 Suspiria sedat] *hoc est, difficultatem anhelitus.*

6 Ex calida] *id est, aqua.*

7 Vomica dira] *Vomica tumor est ex pure collecto.*

8 Vnaquaq; die febre] *id est, si ex pituita laborat quotidiana.*

9 Velut helleborum] *album intelligit, niesz wurtz.*

10 Præcepit Plinius] *lib. 26. cap. 11.*

11 Ruptis] *id est, herniosis.*

12 Steras cadentes] *ὑστέραν quid sit, in capite recensuimus primo de Artemisia.*

13 Pondere fabæ] *Hæc ex Plinio habet.*

DE SABINA. *Von Seuenbaum.* Cap. 12.



DE Βράθυ, siue Βαρύθρω Galen.lib.Simp.6.cap.Sauina, Auic. canon. 2.cap.Abel. Serap.agg.cap.Abhel.Galen. ad Patern.cap. 132.Dioſcor.lib. 1.cap.86.Plin. in hiſtor.mundi lib.24. cap.1.& 11.& lib.17.cap.13.& lib.de Virib.herb.cap.88.Aegineta lib.7.

BRatheos eſt Græcè, Sabina uocata Latinè,
Sicca calens eius uis eſt, & tertius illi
Eſt in utroq; gradu, uulnus cũ melle, uel ulc9
Fortiter exſiccat, ſordes quoq; purgat eorum:
Sic iuuat anthracas 1, bona quę plebs ulcera dicit:
Menſtrua deducit, corruptos extrahit aluo
Conceptus, ſi cum uino ſit ſumpta frequenter.
Vel ſi trita prius matricis ſubditur ori,
Cerotis admixta cutem facit eſſe nitentem.

Omni-

Omnibus & morbis prodest de frigore factis,
Illius in uino uel aqua decoctio curat,
Quos uertigo nocet, si lotum sit caput inde,
Herbaq́ꝫ temporibus, & fronti cocta ligetur
Duplum sabinæ, si desint cinama ² poni
In medicamentis iubet Oribasius ³ autor.

SCHOLIA.

¹ SIc iuuat anthracas] ἄνθραξ tumor ex humore melanscholico, crasso & feruēte natus dicitur, quē sæpiùs Carbunculū uocamus, propter magnā inflammationē nigredine accedēte. Cōstātinus autor est Affricanus. Vulgò die gūtē platerē oder S. Barblē platerē.



² Si desint cinama] Cinamum dicitur, & Cinamomum.

³ Oribasius autor] Oribasius Sardianus libro de uirtute simplicium secundo.

DE PORRO.
Von Schnittlauch.
Cap. 13.

DE porro à Græcis πράσον. Diosc. lib. cap. 188. Serap. aggregat. cap. Curat. Aegin. lib. 1. cap. 76. Plin. lib. 20. cap. 6.

IN multis causis usus medicamine porri
Dicitur Hippocrates 1, medicinæ maxim. 2
autor:
Istius succum solum dedit ille bibendum
Aegrotis, qui reijciunt, sputantúe tumorem,
Quos hæmophthoicos soliti sunt dicere Græci.
Cum galla 3 dant hunc alij, thurisúe 4 farina,
Aut geminis drachmis porrorum seminis, unum
Apponunt myrrhæ, uino quoq; trita resoluunt,
Præ cunctis alijs dicunt hæc sumpta iuuare:
Manantemq; potes naris retinere cruorem,
Vngas si nares intus medicamine tali
Contractas uuluas 5 succo curabis eodem.
Reddit fœcundas mansum persæpe puellas,
Vlcera cum melle tritum iuuat, appositumq;
Humorem capitis, si distillatio 6 fiat,
Pulmones, pectusq; nocens, uocemq; canoram:
Indeq; consurgat tussis præcordia lædens.
Cum ptisana 7 succum porri sorbere iuuabit,
Et per se solum prodest his omnibus ipsum,
Si porri partes in lympha coxeris albas,
Sicut aquam primam mutes, addasq; secundã,
Vtilis eius aquæ duro fit potio uentri 8.
Dicitur hæc eadem cum uino stringere 9 uentrẽ,
Cum uino potus datur his, quos læserat anguis,
Quodlibet, aut animal fundens lethale uenenũ,
Nec minus his prodest si uulneribus superaddas,
Sic uelut emplastrum porrum cũ melle subactũ.
Commixtus porri succus lacti muliebri,

Et

Et bibitus tuſsim fertur ſanare uetuſtam,
Et uarijs uicijs pulmonum ſubuenit idem.
Auris compeſcit cum capræ felle dolorem,
Præſtat idem pariter cum mulſo mixtus, & auri
Infuſus tepidus, fungis ſi manditur obſtat,
Eius iungatur ſucco pars tertia mellis,
Et ſic per nares tepidum fundendo, uel aures
Immenſum poteris capitis ſedare dolorem,
Ex uino bibat hũc, lumborũ 10 quẽ dolor angit.
Dicitur utilius tali nihil eſſe dolori,
Fracturas ſolidat citò, duriciasq́ꝫ relaxat
Appoſitũ, uulnusq́ꝫ recens citò cum ſale claudit.
Si crudum fuerit ſumptum leuat ebrietatem,
Sic uentrem ſtimulat, ſic duram molliet aluum.

SHOLIA.

1 Dicitur Hippocrates] *id quod cernere licet Epidem. 5. lib. de Victus ration. 2. & lib. de Morbis, qui extra ueniunt.*

2 Maximus autor] *Maximũ fuiſſe Hippocratẽ uel id argumento eſt, quòd hunc pari ſuffragio omnes medicinæ principẽ ſtatuunt, quodq́ꝫ huic ob diuinam artis cognitionem non aliter ſacra habere curauerunt antiquitùs, quàm Dioni cuipiam uel Apollini, quem item Plinius primò medicinam inueniſſe 10. lib. 2. cap. ſcribit, & 29. cap. 1. ſcripta repetit.*

43 Cum galla] *gallã fert quercus, Dioſcorides inquit lib. 1. cap. 127. Gallapffel.*

4 Thuris farina] *cum polline thuris.*

5 Contractas uuluas] *Quod Macer cõtractas dicit, hoc Dioſcorides præcluſos fœminarũ locos nominat, quos porri ſuc-*

cus aperit. 6 Si destillatio fiat] *si rheuma diffluat à capite in membra subiecta.*

7 Cum ptisana] *Ptisana ex hordeo confectus est cibus Hippocrati,& alijs multum laudabilis. De ptisana Hippoc.lib. 4. de Vict.rat.morb.acut.& Christoph.de honest.ad finem antidotarij Ioannis Mesue,item Arnold. de Villa noua in lib.de aquis medicinal.*

8 Duro uentri] *quem remollit.*

9 Stringere uentrem] *nimis fluentem.*

10 Lumborum quem dolor angit] *qui hypocondria suspensa habet,& murmure repleta.de quibus Hippocrat. lib. 4. Aph.73.Sunt autem hypocondria loca sub costis,aliquibus lateralia dicta.*



DE CHAmæmila. *Von Chamillē.* Cap.14.

DE Anthemide seu Chamæmila *Gal.3. Simpl & 6.de Simpl.medic. cap.45. Auic.2.canon.cap.122. Dioscor. libro 3. cap. 143. Serapius aggregat. in cap. Bethoni. Plinius libro 22.cap.21.*

Anthemi-

ANthemiũ magnis cõmendat laudibus autor
Aesclepius 1 q̃ Chamimelã, nos uel Camo-
millam
Dicimus, hęc multũ redolẽs est & breuis 2 herba,
Herbę tam similis, quam iusto nomine uulgus
Dicit Amariscam 3 quo'd fœteat & sit amara.
Vt collata sibi uix discernatur odore.
Autores dicunt species tres illius esse,
Quas solo florum distingui posse colore
Tradunt, est cunctis medius flos aureus illis:
Sed uarĳs folĳs flos circumcingitur ille
Albi, uel lutei sunt, purpurei'ue coloris,
Dicitur Anthemion 4 propriè, cuius foliorum
Purpureus color est, maiorq́ue & fortior hæc est:
At Leucanthemion 5 folĳs deprehenditur albis
Melinis chrysanthemion 6 uis omnibus illis
Sicca, calensq́ue gradu primo conceditur esse:
Prouocat urinam cum uino quælibet hausta,
Vesicæ frangit lapides, & menstrua purgat.
Si foueatur aqua matrix, qua cocta sit herba,
Aut si cum uino potetur sæpius illa,
Tormina sic sedat, stomachiq́ue inflatio potu
Pelletur tali, squamas de uultibus aufert:
Si tritam apponas solam, melli'ue iugatam,
Ictericis prodest eius decoctio sumpta,
Et mirè prodest iecoris potata querelis:
Pellere cum uino potata refertur abortum.
Hac oleò cocta foueas si febricitantem
Frigus depelles, febrem quoq́ue sæpe fugabis.
Vnguine purgantur hypocondria 7 turgida tali

Pesti-

Peſtiferos morſus ſerpentum, pondere drachmæ
Cum uino, prohibet anthemis ſumpta nocere,
Plinius affirmat hac quadraginta diebus
Vna quaq; die bis ſumptam pondere drachmæ
Cum geminis cyathis uini ſubtilis & albi,
Cum lotio ſenſim totum purgare lienem:
Aegilopas 8 curat, ſi quis commaſticet illam,
Et ſic apponat, ſic ulcera ſordida purgat.
Ebullire 9 caput febris feruore grauatum
Sæpe ſolet, uel collectis humoribus in ſe
Vlcera producit: uocat anathemata 10 Græcus
Hæc decocta uirens oleo camomilla repellit.
Quod ſi defuerit uiridis, maceretur aceto,
Et caput inde lauet, nullũ magis adiuuat unguẽ.

S C H O L I A.

1 AEſclepias] *Aeſclepiadem ex ſcriptis Plinij citat, quæ 22. lib. cap. 21. habentur, qui de hac herba integrum librum conſcripſit.*

2 Et breuis herba] *Nam rami palmum uix excedunt. Dioſcorides à menſura dodentralem uocat.*

3 Dicit Amariſcam] *quidã Amaracum, non quem ſampſychon uocant, ſed partheniũ, uel ſolis oculum, aut cotulã fœtidam, Krottendill, uel Wild Camillen, graui odore florentẽ herbam, & multùm amaram. Vnde Macer iuſto nomine Amariſcam dictam innuit, quaſi amaram & fœtentem.*

4 Dicitur Anthemion] *Dioſcor.* ἠράνθεμον *uocat, quòd Vere floreat, Germani à ſimilitudine calcaris, Ritterſporn. Conſolidam regalem Latini.*

5 At Leucanthemion] λευκάνθεμον *in ambitũ cãdidis*

folijs

foliјs circũposita est, & Camillé uulgò dicitur Latinè Camomilla.

6 Melinis Chrysanthemion] χρυσανθέμιον Dioscorides à suis florib. nominat aureis, Germani ad Græcam appellationem alludunt & Goldplumen, Streichplumen, uel lang Camillen nominant.

7 Hypocondria tali] ileosorum & inflatorum, de Hypocondriјs dictum est.

8 Aegilopas curat] αἰγίλωψ oculi uiciũ est circa angulum lachrymalem, quem domesticũ uocãt. id multi fistulam nominãt.

9 Ebullire caput] & mollire caput legendum arbitor.

10 Exanthemata Græcus] Exanthemata in summa cute exulcerationem Alexander uocat, haud absimilem uesicis, quæ urticarum insequuntur tactum cap. de Psidracia. De his item pulchra scribit Ioannes Alexandri. sophista super primũ Epidimiarum Hippocratis commento 12.

DE NEPETA. Von wilden Poley, oder Kornmüntz, Katzenmüntz. Cap. 15.

DE hac Dioscor. li. 3. cap. 38. Aegin. li. 7. Plin. Nat. hist. lib. 20. cap. 14. & lib. de remed. 4. cap. 22. L. Apuleius de uirtut. herb. cap. 91. & 94.

HErbã quã Nepetã uulgari more uocamus,
Hanc medici Græcè Calaminthi 1 nomine dicunt:
Sicca calensq; illi uis est & tertius item.
Est in utroq; gradus, cum mulsa trita tepenti
Sumpta solet totum sudore reuoluere 2 corpus,
Ex oleo quo sit decocta perunge fricando
Illum, uenturæ metuit qui frigora febris,
Non frigus tantùm, sed febrem sæpè repellit:

Illi

Illi qui ſchiaſim 3 patitur, coxæ ſuperadde,
Contritam uiridem fertur comburere pellem,
Et ſic humores ſiccando fugare dolores,
Appoſita, potuq́ʒ ſuo citò menſtrua purgat.
Eſt lepræ 4 ſpecies, Elephantiaſisq́ʒ uocatur,
Quæ cunctis morbis maior ſic eſſe uidetur,
Vt maior cunctis elephas animantibus extat,
Hunc in principio morbũ potus Calaminthes,
Cum uino curat humores extenuando.
Serpentum morſus ſuperaddita trita nocere
Non ſinit, & pellit cum uino ſumpta uenena
Potus, & iniectus lumbricos enecat eius
Succus, & in mẽbris uermes necat omnibus ipſe.
Si mel iungatur huic, cum ſale plus operatur,
Si bibit hãc prægnans, aut tritam ſubdit abortit:
Purgat & ictericos, cum uino curat 5 anhelos,
Aſthmaticos medici quos Græco nomine dicũt,
Et iecoris morbos cum uino mitigat hauſta,
Hocq́ʒ modo ueterem lateris iuuat illa dolorem
Atqʒ cicatrices nigras ſuperaddita trita,
Hæc naturalem reddit purgando colorem,
Vino decocta facit hæc melius cataplaſma.
Compeſcit ſtomachi cum uino ſumpta dolorem,
Fumis de domibus ſerpentes effugat eius.
Tollere ſingultum 6 cum uino dicitur hauſta,
Hocq́ʒ modo Venerẽ cohibet potata frequẽter.

SCHOLIA.

1 CAlaminthi nomine] *Calaminthan complures quaſi bonam, uel utilem mentam nominatam dicunt.*

2 Reuoluere


2 Reuoluere corpus] *aperiendo & dilatando corpus sudare facit.*

3 Schiasim patitur] *de schiasi dictum est.*

4 Est lepræ species] ἐλεφαντίασις, *morbus ex humore melancholico fit, quo corpus multis maculis, squamisq́ꝫ induratū deformatur, ad modum cutis elephantis, & est species lepræ.*

5 Curat anhelos] *hoc est, nisi recta ceruice spirantes.*

6 Tollere singultum] λυγμὸς *Latinè singultus est, ex stomachi oris affectione superueniens, sicut tussis ex pulmone, & sternutatio ex cerebro. Singultus mētionem Hippocrates habet lib. 7. Aphoris. 13. qui non negligenda scribit.*



DE PVLEgio, Von Poley. Hertzbleich.

Cap. 16.

DE Pulegio quā Græci Γλήχωνα uel Βλήχωνα nominant, Gal. 6. Simplic. ca. 110. Dioscor. li. 3. ca. 31. Oribasius de uirib. herbar. li. 2. Serap. ca. Sande nig. Plin. li. 20. cap. 14. Lucius Apulei. de uirtute herb. cap. 94.

Feruida

Feruida pulegij uis, siccaq́; dicitur esse,
Tertius à medicis datus est gradus huic in utroq;,
Sæpius hanc herbã si prægnans sumit, abouit,
Menstrua deducit cum uino sumpta tepenti.
Hocq́; modo tardas hæc extrahit herba secũdas:
Hoc nomen quia non notum reor esse quibusdã,
Exponam tali quid nomine significetur,
Vt nondum natus testa circundatur oui
Pullus, sic infans matris uestitur in aluo
Quadam pellicula matris de semine facta,
Quam nascẽs rumpit quasi testã pullulus oui:
Istas pelliculas medici dixêre secundas,
Quo'd mox expositos naturæ iure sequantur.
Hæc si plus iusto, uitio cogente, morantur.
Aut mors subsequitur, dolor aut qui uix tolera- (tur.
Istas pulegium prędicto more repellit,
Cum sale contritam melli si iunxeris illam,
Vnguine cõtractis 1 põt hoc succurrere morbis,
Illius puluis sumptus cum melle, uel haustus
Pectoris humores uiscosos 2 extenuare,
Et per sputa potest illos educere mirè:
Nausea, uel morsus stomachi 3 curabitur illa
Cũ pusca 4 sumpta uel aceto quòd sit aquosum.
Cum uino nigram choleram potata repellit,
Sicq́; uenenatis serpentum morsibus obstat,
Si per uim febris nimioúe fluore cruoris
Aut aliquo casu subito defecerit 5 ęger
(Quod solet à doctis medicis madefactio dici)
Pulegium ualido tritum iungatur aceto
Nari-

Naribus ægroti sic apponatur, odore
Solo confestim dicunt releuare iacentem.
Gingiuas sicci puluis confirmat, & iusti,
Appositum uiridem dicunt sedare podagram,
Et quosuis alios solet emendare tumores:
Si superaddatur tepidæ permixta polentæ
Addita ceratis, pupulas 6 de corpore tollit.
Spleneticis multũ superaddita cum sale prodest,
Elixatura si quisquam sæpè tepenti
Illius abluitur, pruritus non patietur,
Et sic matricis poteris curare tumorem.
Tussim compescit cum uino sumpta tepenti,
Et sic urinam compellit reddere largam,
Et magis ex uino si sit decoctio facta,
Aut oleo mixtam contritam si superaddas.
Si radix acri trita iungatur aceto,
Sedabit quosuis superaddita sæpè tumores:
Obstat serpentum cum uino sumpta uenenis,
Et sic assumptum Venerem stimulare fatentur,
Sic quoq; pulmonis prodest, iecorisq; quęrelis,
Et sic nutrici sumptum lac præbet abundans,
Herba uirens curat morsus cum melle caninos,
Si superaddatur, & uino mixta bibatur.

SCHOLIA.

1 Contractis morbis] *hoc est, cõuulsionibus & potissimũm opisthotono, Plinio teste.*

2 Viscosos extenuare]. i *exscreabiles facere.*

3 Stomachi morsus] *Morsum Dioscorides & Plinius erosionem interpretantur.*

4 Cum pusca sumpta] *Id quidã ad uitæ referunt frugalitatem, & eos homines minus nauseam, & stomachi erosiones incurrere testantur, qui paucis contenti ex horto uiuũt & agro: hoc est, qui pulegio uictitant cum pusca, quam qui popinarium luxũ ex foro, & macello comparant. Pulegium enim pro sanitatis usu quotidianum ueteribus fuisse cibum, seruatamq; hanc herbam omnium salgamorum ritu. sale conditam Columella ultimo sui operis uolumine scribit.*

5 Defecerit æger] *Angustiùs hanc rem contraxit Plinius. & eos tantum defectus animæ, qui in fœminis strangulatu uuluæ concidentibus fiunt, intellexit: in quibus obmutescendi uerbo plerunq; Plinius utitur. Sed Macer hoc loco omnes ex quacunq; causa obortos intelligit.*

6 Pustulas tollit] *id est, uaros seu uenarum scrotas.*



DE FOENICULO. *Von Fenchel.* Cap. 17.

DE *fœniculo, quod Græcè* μάραθρον *dicitur, Gal. 7. Simplicium, cap. 93. ad Paternian. ca. 108. Auic. cano. 2. cap. 181. Dioscorid. lib. 3. capite 74. Serapius cap. 324. Plinius lib. 8. cap. 27. & lib. 20. cap. 23.*

Fœniculum

FOenículũ medici calidum,ſiccumq́; ſecũndo
Dicũt eſſe gradu, Marathrum 1 Grǽcus uocat illud:
Cùm uino cunctís obſtat hæc herba uenenís,
Hac manſa 2 ſerpens oculos caligine purgat,
Indéq; compertum eſt humanis poſſe mederí
Illam luminibus,atq; experiendo probatur.
Radícis ſuccus mixtus cum melle recentí,
Pulſa reddít eos omni caligine claros,
Expreſſus marathri uiridi de ſemine ſuccus
Soleq́; ſiccatus, magnum medicamen habetur,
A'queí ſcunq; uelis oculorum pellere morbos.
Auribus infuſus uermes ſuccus necat eius:
Renibus in ptiſana radix decocta medetur,
Cum uino fugat hydropicos potata tumores,
Sícq; uenenatis obſtabit morſibus illa,
Sic quoq; pulmonís obſtat,iecorísq; querelis,
Et ſic nutrici ſumpta,fit copía lactis.
Cum uino,uel aqua radicis coctio ſumpta
Nephreticis 3 & ueſicæ morbis medicatur,
Vrinas purgat,& menſtrua ſumpta reſoluit:
Vel ſi trita ſuper pectus hæc herba ligetur,
Nauſea cum uino ſumpta ſedabitur illa:
Feruorẽ ſtómachi 4 cum lympha mitigat hauſta.
Radix illius uino decoctà dolores
Fomento curat: patitur quos uirga uirilis
Hóc quoq; ſi iungas oleo facir, hocq́; perungas
Ictus,uel fact[illegible]s ſubitó quóſcunq; tumores,
Apponas tritam iuncto ſedabit aceto.
Semen cum uino bibitum Veneris mouet actus,

Hoc'q; modo lateris diros sedare dolores
Dicunt, aut herbæ si sit decoctio sumpta
Tradunt autores, eius iuuenescere gustu
Serpentes, & ob hoc senibus prodesse putatur.

SCHOLIA.

1 MArathrũ Grecus uocat] *Fœniculum dictum putant, quòd satum magno cum fœnore semen reddat: sed Marathrum à marcescendo, quòd ad condienda plurima cum inaruerit, commendatissimum sit.*

2 Hac mansa serpens] *Fœniculũ, si Nicandro in Theriacis credimus, & Plinio quoq; octauo Naturalis historiæ, in primis serpentes nobilitauêre, gustu exuentes senectutem & succo huius aciem oculorum roborantes. Quos humana denuò sequuta est solertia, fœniculum collyrijs addens, ut uisus deponat caliginẽ, aut amissum reparet. In quem item finem secundis mensis fœniculi comas, caules & semẽ addere non sunt ueriti antiquitus, Marcello scribente Vergil.*



3 Nephreticis] *de nephreticis dictum est.*

4 Feruorem stomachi] *stomachi æstuationẽ, quã uulgò den saut uocãt.*

DE ACIDVLA, Semperuiuo. Von Hausswurtz, Donderbar.

Cap. 18.

DE ἀείζωον Galen. lib. 6. Simp. cap. 8. Dioscor. li. 4. cap. 86. Plin. Nat. hist. lib. 18.

18.cap.17.& lib.25 L.Apuleius in histor.de herbarum uiribus.

Dicimus acidulã, quã Gręcus dicit aizoon,
Sic dici credunt sapor illi, quod sit aceti:
Crescit arenosis [1] in pratis, & secus amnes,
Hanc auidè [2] quidã concedunt in tempore ueris,
Expertumq́ ferunt sibi, quod fastidia tollat.
Virtus est illi siccans & frigida [3] ualde,
Tertiꝰ à medicis datus est gradus huic in utroq;,
Hac fugit apposita sacer [4] ignis, & herpeta mor-
Et tumor ex oculis trita cataplasmate redit, (dax
Vlcera quæ serpunt cohibet, combustaq́ curat,
Et multum calidæ dicunt prodesse podagra,
Si fuerit folijs illius operta uirentis.
Aut cataplasmata [5] mixta contrita polenta,
Eius cum roseo succus permixtus oliuo
Dicitur antiquo capitis prodesse dolori,
Qui dictus dolor est lingua Cephelargia [6] Gręca,
Omne genus fluxus uentris restringere mirè
Cum uino potata solet, uel mansa frequenter:
Hocq́ modo nimium manantia menstrua sistit,
Vel si matrici tritam uiridem superaddas,
Sic quoq; lumbricos pellit potata rotundos:
Taliter & cunctis prodest potata uenenis,
Exhilarat uisus illius succus inunctus.
Cum uino uarijs obstat potata uenenis,
Affirmant istam, qui secum gesserit herbam,
Quod hunc non appetat lethali scorpius ictu:
Auribus expressus succus si funditur eius,
Adiuuat auditum mirè, pellitq́ dolorem.

Altera uerò minor species est istius herbę,
Quam semperuiuam dicunt, quoniã uiret omni
Tempore, barba Iouis uulgari more uocatur.
Esse refert similem prædictæ Plinius istam,
Nec minus omnibus hãc prędictis posse iuuare,
Manè solent adeò palpebræ glutine 7 quodam
Phlegmatis astringi, ualeant ut uix aperiri,
Hac mirè succus herbæ deglutinat huius
Illo si tactæ fuerint, digito'ue perunctæ.

S C H O L I A.

1 CRescit arenosis] *Habet se hæc herba ad alias herbas, non aliter quàm homines quidã, qui uitam suam non ex aliorũ adminiculo dimetiuntur, sed ut meliorum habentes fortunam, ex bonitate propria se bona ualetudine, & uita frui arbitrãtur. Hæc enim in domuum tectis maximè crescit, & rarò in pratis: ab alijs sequestrata herbis, æterna gaudens uiriditate, non curans æstum, non frigus seu alias cœli, aut naturæ iniurias, superbiens in tanto suorum nominum ambitu. Nam aizoon quasi semper uirens Græci dixerunt. Ambrosiam quidam ab immortalitate, Chrysospermon ab aureo seminis colore: Zoophthalmon alij propter oculorum animalium similitudinẽ. Stergethron multi ab amore, quem conciliare fertur, seu Buphthalmum, quasi bouis oculum.*

2 Hanc auidè quidam] *Scribit Columella 13 libro, sedum inter iuris salgamata quoque locum habuisse mensisq; frequens fuisse ornamentũ. At non est quòd maius sedum uel aizoon intelligamus, de quo hoc loci Macer tractat: sed herbam quandã congenerem, quam alij portulacam uocant, germani burgel, herbam gustu quoq; acetosam.*

3 Et frigida ualde] *irrepsit iampridem uulgaribus, indigna cœlo superstitio: quippe hanc herbam propter suam frigiditatem sic cœlestibus aduersari ignibus, ut ubi floreat, domus habeantur à fulmine indemnes. Circa quæ tales ignes facile ignauos duxerim, minimeq́ timẽdos, si tam exiguæ plantæ frigus, tam impetuosas flammas cœli, mortales faceret, aut non accendi curaret, potissimum quum tantam cœlestibus firmitatem, & robur indies inesse uideamus, ut non uel magnis quandoq́ fluminibus etiam frigidissimis. Iouis extinguamus tela.*

4 Sacer ignis] *de his dictum est.*

5 Aut cataplasmata] *Hic cacosynthetõ est aut cacephatõ.*

6 Cephalargia lingua Græca] κεφαλαργία *capitis dolor est: debilior tamen quam Cephalæa.*



7 Glutine quodã] *Lemarum utitur paraphrasi: per eiusmodi enim gluten, istum humorem intelligit in oculis concretum, quem lemam, unde lippitudo uenit, uocamus.*

DE PORTVLACA.

Von Burtzelkraut oder Portzel. Cap. 19.

D*E Portulaca uel* ἀνδράχνη *Gal. 9. Simplic. ca. 41. & 42. de Alimentis cap. 45. Dioscor. 2. cap. 113. Auic. cano. 2. cap. de Portul. Serap. cap. 849. Et L. Apulei. de uirtu. therbarũ lib. cap. 104.*

Andrachne Græcè, quę portulaca 1 Latinè
Dicitur, hæc uulgi pes pulli more uocatur:
Humida uis eius & frigida dicitur esse,
Vnde iuuat febrem, quã dicit Gręcia 2 Causon:
Tertius humori, stridori uerò secundus
Huic gradus est, utilis stomacho quoq; habetur.
Trita super stomachum uiridis si ponitur herba,
Præstat idem succus si sumitur, herbaq; mansa
Aufert olus accepta, solet lenire calorem:
Mansa uel hausta, potest nimiũ restringere fluxũ
Sanguinis, & uentris nimium cohibere fluorem.
Esse uetat dentes 3 illis contrita stupentes,
Et tumidis oculis prodest superaddita trita,
Feruorem solis æstate comesta nocere
Non sinit, & uentrem cum uino & sale mollit:
Vesicæq; solet sedare comesta dolores,
Est hęmophthisicis 4 hęc sæpè comesta salubris,
Acidulę similes huic penè per omnia uires,
Effectusq; pares testatur Plinius esse.

SCHOLIA.

1 Portulaca Latinè] *Germanicè Burzel, corrupta tamẽ uoce, quum porcell efferendum sit, ac si porcellorum herbam dixeris, quòd porci eam in delicijs habeant.*

2 Gręcia Causon] *καύσων tertianæ febris species est, & ardens interpretatur uel adurens, à cholera intra uenas cordi propinquas ortum trahens, quæ continuò patientem affligit.*

3 Dentes stupentes] *Dentium suporẽ αἱμωδίαν Græci nominant, malum quippe, quod nulla grauiore intrinseca causa fit: sed ab acidis, acerbisq; ciborũ succis ita cõtingit, ut sæpe adeò*

torpe-

torpeant, quòd sine dolore commanducare aliquid, & atterere nequeant.

4 Hæmophthisicis] *sanguinem spuentibus.*



DE LACTVca. Von Lattich.
Cap. 20.

De θριδακα *Gal. 6. Simp. cap. 4. de Alimen. lib. 2. cap. 39. Diosc. lib. 2. ca. 125. Serap. agg. capi. 249. Auic. can. 2. cap. 452. Plin. lib. 19. cap. 8.*

FRigida lactucę uis cõstat, & humida ualde,
Vnde potest nimios hæc mansa leuare calores,
Et præstabit idem superaddas si benè tritam.
Vtilis est stomacho, somnũ dat, mollit & aluum:
Omnibus his melius prodest decocta comesta,
Et stomacho potiùs non lota 1 comesta medetur.
Lactucæ semen compescit somnia uana,
Cum uino bibitum fluxum quoq; reprimit alui,
Lac dat abundanter nutrici sumpta frequenter,
Vt quidam dicunt, oculis caligo creatur
His quibus assiduè fuerit cibus eius in 2 usu,

SCHOLIA.

1 NOn lota comesta] *illotæ, & iam primum ex terra erutæ, maiorem uim stomacho cibum non continenti, inferre etiam Diosc. testatur.*

2 Fuerit cibus eius in usu] *Conditur enim in fictili ad continuum usum muria, aliorum salgamorum modo.*



DE ROSA.
Von Rosen.
Cap. 21.

DE Rosa uel Ῥόδο-. Auicen. capite de Viribus cord. & 2. cano. cap. 570. Diosc. 1. 1. 5. Galen. 8. Simplic. cap. 77. & ad Patern. cap. 228. Mesue simpliciũ capit. 8. Serap. aggregat. cap. 108. Rases 23. contin. cap. 7.

DIci flos florũ 1 nobis rosa iure uidetur,
Quod specie cunctos præcedat, odoreq; flores:
Non tamen hæc tantum specie, nec odore iuuare

Nos

Nos ualet,& uariȷs nos adiuuat illa medelis.
Eius sicca gradu uis est,& frigida primo.
Compescit sacrum,si trita apponitur ignem:
Sic quoq; si stomachus calet,aut pręcordia,sedat
Fluxum matricis,cum uino stringit & alui,
Illius succum collyria plurima quærunt,
Et siccæ puluis morbis bene subuenit oris,
Infrictus per se tantùm,cum melleúe mixtus
Omnes feruores superaddita trita coërcet.
Ipsa recens,uel si mulsæ contrita bibatur,
Ex hac conficitur oleum,roseumq́; uocatur,
Diuersis morbis,& multis utile causis.
Si bibitur uentrem mollit,stomachiq́; calorem
Extinguit nimium bene si foueatur eodem:
Et dolor & feruor capitis curabitur illo.
Permiscendo illi si forté iugatur acetum,
Expurgat sordes,uulnus repletq́; profundum,
Et combusturis præclarè subuenit ignis.
Ore diu tentum,dentis sedare dolorem
Dicitur,& duras palpebras reddere molles.
Aufert suppositum pruritus interiorum,
Et stericis 2 uariȷs ualet hoc succurrere morbis.
Hoc oleum quoniam uariatur 3 conficiendo,
Dicam Palladius 4 quid scripserit inde peritus,
Quod rubrum fuerit foliorum sumito floris,
Vncia sic purgatorum iungatur oliui
In libra,uitreo sic claudens omnia uase
Sub Phœbo tantùm septem suspende diebus,
In medelarum uarios seruetur ad usus.

SCHO.

SCHOLIA.

1 Dici flos florum] *Rosam florum omnium florẽ meritò dicimus, qui nõ solùm à coloris præstantia, odorisq́; bonitate gratiam, & honorẽ sibi conciliat, sed etiã maiestatem quandã ob diuinos natales sibi captat. Nam Græcorũ poëtæ à Venere rosam primò hac temporum serie inuentã tradunt, qua Paris Priami filius tres Deas in unum conscripserat, ut se pulchritudinis iudicem audirent. Licet Iouianus Pontanus à Græcis dissentiat, & secundo libro Eridani uersu ad Venerem cõscripto, eo tempore per eandẽ Deam inuentã testetur, quo Adonidem in delicijs habuit. Nisi quis uel inde rosam præ alijs floribus nobilitare propensiùs uelit, quòd in rosæ totius fabrica nihil reperitur, quod cum fruge non in usus maximè cadit humanos: proficua enim homini sunt folia, ut Macer scribit: semen medio inclusum & anthera dictũ, nam oris collutionibus ualet, & gingiuas roborat. Calix item qui coctus, uentris fluori remedio est, et hæmorrhosagiæ. Et aqua denuò ex ea per sublimationem collecta, cuius bonitas tam est nota, quàm etiam rhodolæi utilitas, multis commodo esse potest.*

2 Et stericis uarijs] *matricis passionibus.*

3 Quoniam uariatur conficiendo.] *Variatur, sicut apud Mesue & Nicolaum in antidotarijs legitur, qui conficiendi plures ostendunt modos.*

4 Dicam Palladius] *in libro de Simplici medicina in elemento R.*



DE LILIIS. Von weiss gilgē. Cap. 22.

De liliis uel κρίνοις. Galen. ad Patern. capite 152. & Simp. lib. 7. cap. 53. Auic. de Viribus cord. Rases 22. contin. cap. 5. Diosc. li. 3. cap. 107. & li. 1. cap. 1. Plin. lib. 21. cap. 5.

LAurosas 1 (ut credo) rosas argentea 2 debent
Lilia iure sequi, quæ nec specie, nec odore
Cedere creduntur, roseo collata decori:
Nec minus in multis hominū sunt apta medelis.
Eius radicis bulbus, quæ lilia profert,
Sub prunis tectus, iuncto quoq; tritus oliuo,
Prodest usturis mire superadditus ignis,
Et melius roseum sibi si iungatur oliuum,
Duricias stericas mollit, si subditur idem,
Elixis eius folijs, cataplasmaq; factum.
Mollescunt nerui, combustaq; membra iuuatur:
Sicq; superpositus morabitur anguis,

Aut

Aut secum uino bulbus potabitur ipse:
Sic quoque fungorum uetat ille uenena nocere,
Hunc uino coctum, tritumque pedum 3 superadde
Clauis nec soluas, nisi cum lux tertia transit.
Pingui porcino, si decoquis hunc, uel oliuo,
Reddere posse pilos membris narratur adustis.
Cum uino potum nocuum purgare cruorem
Per uentrem dicunt, & sic prodesse lieni.
Sicque iuuat uulnus, sic idem menstrua purgat:
Vel si cum uino ueteri coctum superaddes,
Præcisis neruis tritus cum melle medetur.
Expressus succus foliorum mixtus aceto,
Et melli coquitur, sint mellis, sint & aceti
Vt geminæ partes prædictis quinque liquoris,
Ad desiccandas nihil est magis utile plagas.
Inque cicatrices ducit, licet inueteratas,
Elixus bulbus, & cæratis bene mixtus
Rugas distendit uultus, maculas fugat omnes:
Lichenas 4 purgat, faciē quoque surfure mundat:
Exprimitur succus de tritis floribus eius,
Qui uuluas mollit cum lana subditur illis.
Illius asseritur sudorem posse mouere,
Turgida maturat, primò coquit & citò purgat.

SCHOLIA.

1 LAuro sas rosas] *Cur laurosas nominet Macer, nō intelligo: nisi ad Plinij uerba alludat, qui 21. lib. cap. 5. rosas cognatione quadā unguento Lirino, quod aliàs Susinum uocant, & ex liliorum folijs coadunatur, proximas esse docet.*

2 Argentea] *candida. Et ne quid in rerū natura uoluptatis foret,*

foret, quod antiquorũ superstitio non suis dijs adscribere lilij candorem Iunoni adpropriarunt. Ex huius enim profuso in terram lacte, cùm dormiens Herculem mammis replesset, lilium primò enatum Græcorum poëtæ fabulati sunt.

3 Pedum clauis] *Pedũ clauus apostema melancholicũ est, quod Auicenna cornu nominat, uulgò agerstenaug. Clauo Siliũ Italicum perijsse tertio epistolarũ Plinius secundus scribit, sed nõ pedum clauo. Est enim & capitis quidam intolerabilis cruciatus, quem c auum dicun , & eo perijt poëta.*

4 Lichenas purgat] *Græcis λειχῆνες impetiginis seu mentagræ species est: nam cutem asperam facit & squamosam. quidam Gallicum morbum nominant, aliqui lepram. Lege Hippocratem Prædictionum secundo libro.*



DE SATVregia. *Võ kirchysop. Sergenkraut. Kunel. Ioseplen.* Cap. 23.

De θύμβρα Dios. li. 3. cap. 40. Aegin. lib. 7. Plinius lib. 19. cap. 8. Serapius capite 313.

Thymbra

Thymbra solet Græcè dici, Satureia Latinè:
Illi sicca nimis uis est, sed feruida ualde
Prouocat urinam, cū uino mēstrua sumpta,
Pellit abortiuum, muliebria uiscera purgat:
Illius puluis cum cocto melle subactus
Et mansus, uel cum uino si sumitur idem,
Pectoris humorem 1 pellit persumpta tenacem.
Cum uino tepido compescit tormina uentris,
Si largè bibitur: uerum iam sæpè probaui,
Est quidam morbus lethargus nomine dictus,
Oppositum 2 medici quem dicunt esse phrenesi,
Quod uetat hic somnum, somno grauat hic nimis ægrum:
Hoc tamen lethali somno depressus aceto
Thymbram commiscens foueat caput inde frequenter,
Sic uicium pigri 3 poterit depellere morbi.
Hanc herbā caueat mulier contingere pręgnans,
Nam non mansa modò, separatum subdita tollit:
Nausea sedatur hac, si benè trita bibatur
Cum modico uino: sed si sumatur in ouo,
Hocq; modo mirè Venerem solet illa mouere,
Si larga potu uiridis, uel sicca bibatur.
Quo si cum uino mel iungitur, & piper illi
Non modicū Veneris succendere dicitur ignem:
Hinc est à Satyris meritò Satyreia uocata,
Quod sint in Venerē nimis hæc animalia prona
Si desit thymus 4 pro thymo ponere thymbram
Præcipiunt medici, quia uis est æqua duobus.

SCHO.

SCHOLIA.


1 HVmorem tenacem] *phlegma uiscosum.*

2 Lethargus nomine dictus] *λήθαργος morbus est, ab obliuione omnium rerum dictus, qui accidit cum mentis alienatione, ac dormiendi inexpugnabili necessitate.*

3 Oppositumq; dicunt phrenesi] *φρενῖτις insaniæ species est cum dementia continua & insomnietate non cessante.*

4 Pigri morbi] *id est, lethargi.*

5 Thymus si desit] *Thymus herba est, quæ per inferna pituitam ducit. Diosc. autor lib. 3. cap. 39.*



DE SALuia. Von Salbey: Cap. 24.

DE ἐλελισφάκῳ Gal. lib. 6. Simpliciũ cap. 124. Diosc. lib. 3. cap. 35. Serapius lib. aggregat. capite 154. Plin. lib. 26. cap. 6. Aeginet. lib. 7.

SAluia cui nomen Elelisphacus est apud 1 Argos,

Cum mulſa iecoris prodeſt potata querelis,
Pellit abortiuum, lotiumq́; & menſtrua purgat.
Trita uenenatos iuuat, & ſuperaddita morſus
Crudis uulneribus, quæ multo ſanguine manãt
Apponas tritam, dicunt retinere 2 cruorem.
Cum uino ſuccus tepidus ſi ſumitur huius,
Compeſcit Venerem, tuſsim, laterisq́; dolorem.
Pruritus uuluæ curat, uirgæq́; uirilis
Si foueas uino, fuerit quo ſaluia cocta,
Illius ſucco crines nigreſcere dicunt,
Si ſint hoc uncti crebro ſub ſole calenti.

SCHOLIA.

1 APud Argos] *id eſt, apud Græcos. ſunt enim Argolici Græci.*

2 Retinere cruorem] *Huc ponendum uidetur, Agrippam hanc herbam ideo ſacram nominaſſe, quòd ſuffumigata ſaltem mulierum fluores nimium manantes impediat: quôd item imprægnatas multùm laxas, & fluentes commanducata, ſanitati reſtituat, conceptumq́; arctiſsimè in debitum tempus contineat, quæ omnia Aëtius teſtatur.*

DE



DE LIGV=stico. Von Liebstöckel. Cap. 25.

De Ligustico uel Σμυρνίῳ Dioscor. lib. 3. cap. 53. Plin. lib. 19. cap. 8. Aegin. lib. 7.

A Liguru̅ patria sumpsere ligustica nomen,
Copia q̊d maior ibi nascitur illius herbæ,
Tertius huic gradus est calidi, siccique uigoris.
Maior radicis uis est, & seminis eius,
Et par est illis uis in medicamine quouis.
Inflato stomacho cum uino sumpta medetur,
Et tali potu uis digestiua iuuatur.
Omnibus & morbis sic prodest interiorum,
Vrinas sic sumpta mouet, & menstrua purgat.
Tota uenenatis medicatur morsibus herba,
Si bibitur bene trita prius, uinoque soluta,
Et pars contritæ ponatur desuper herbæ,
Non modicu̅ colicis prodest hęc ma̅sa, uel hausta.

Vel si radicis elixatura bibatur,
Nec solum colicis decoctio proderit ista,
Sed supradictis medicabitur omnibus hausta,
Digestibilibus semen bene iungitur eius
Omnibus antidotis, quod sit huic peptica 2 uirt.
Hãc oculis 3 Strabus, potuq; & odore 4 nociuam
Asserit, antidotis eius tantummodo semen
Misceri iussit, hoc uerum dixerit à se,
Aut à doctorum libris, non est mihi notum:
Hoc scio, quòd ueteres nõ paruis laudibus istam
Attollunt herbam, nec me legisse recordor
Vllum qui Strabi sermonibus astipuletur.

SCHOLIA.

1 Svmpsêre ligustica nomen] *Sunt qui ligusticũ, de quo Dioscorides tertio libro, & hîc Macer scribũt, non hãc herbam esse uolunt, quã uulgò liebstöckel nominamus: & aliter Smyrnion dicta est, quòd myrrhæ odorẽ referat. Quibus certè facilè subscribendum duxerim, nisi breuibus textum illustrare statuissemus, & non uolumen scribere.*

2 Peptica uirtus] *Pepticam uirtutẽ Siluaticus digestiuam interpretatur, & Peptica omnia nominat, quæ concoctricem adiuuant.*

3 Hanc oculis Strabus] *Strabus Gallus, qui tempore floruit Ludouici imperatoris, anno Virginei partus 1340.*

4 Potu & odore nociuam] *Strabi scripta ex duodecimo capite sui hortuli apponimus.*

INter odoratam memorare Lybistica syluam
Fortia, suadet amor parui diffusior horti,
Hoc germen succo quamuis & odore gemellis

Orbibus

Orbibus officere, & tenebras inferre putetur:
Semine sæpè tamen quæsitis addere curis
Parua solent, famamq́ꝫ aliena laude mereri.

DE OSTRVTIO. Von Laserwurtz, oder Meysterwurtz. Cap. 26.

De Ostrutio uel Σιλφίῳ Plin. lib. 13. cap. 21. & lib. 24. cap. 11. Diosc. lib. 3. cap. 85.

STruthion, Ostrutiũ 1 q̊d uulgi more uocatur
Vim calidã, siccamq́ꝫ tenet, radix fugat eius
Cum uino morbos iecoris: si trita bibatur
Ictericos sic sumpta iuuat, splenisq́ꝫ tumorem
Durum, quem Græci sclyrosin 2 dixêre, repellit.
Hocq́ꝫ modo lapides uesicæ frangere dicunt,
Menstrua sic, lotiumq́ꝫ mouet, tußiq́ꝫ medetur:
Sic orthopnoicis 3 prodest, si sæpè bibatur.
Subdita matrici depellere fertur abortum,
Et sic tarda nimis seducere menstrua tradunt,
Acri cum uino si iungitur atqꝫ polenta,
Illius succus lepras emendat inunctas.
Hoc etiam succo iuncto cum polline, quem dant
Hordea, curatur (ut dicunt) pustula quæuis.
Si superaddideris emplastri more dolori,
Illius succus cum melle terendo iugatus,
Humores capitis purgat si nare trahatur,
Sternutamentum per se puluis mouet eius.
Naribus iniectus ueratro 4 non segnius albo,
Ictericis succus mirè medicabitur eius,
Hunc si nare trahant lacti mixtum muliebri.

SCHOLIA.

1 STruthion, Ostruthiũ] Σίλφιον recti nominis adhuc umbram tenet, à maioribus tractã, qui hoc laserpitium dixerunt, & nos Osteritiũ seu Ostrutium diuino quasi nominamus idiomate, quam umbrã item uulgò insequ ntur: & quum lasermurtz dicere deberent, conciso uocabulo meystermurtz dicũt.
2 Græci sclyrosini dixêre] quod est tumorem durum ex crassissimo humore melancholico, uix sentientem or um.
3 Sic orthopnoicis] id est, illis qui spiritum non nisi recta ceruice ducere possunt.
4 Veratro non segnius albo] helleboro albo.



DE CHAERIFOLIO. Von körbelkraut. Cap. 27.

De Chærifolio aut γιγγιδίῳ Dioscorides lib. 2. cap. 126. L. Apuleius in histo. herb. ca. 5. Aegineta de oleribus lib. 1. cap. 74. & lib. 7. Plinius hist. mund. lib. 20. cap. 5. & de re med. 4. lib. cap. 37.

Est


Est chærifolio uis acris, & ignea ualde
Appositū cancris tritū cū melle medetur
Cum uino bibitum lateris sedare 1 dolorem
Sæpè solet, tritam si nectis desuper herbam.
Cum mulsa bibitum pituitæ noxia soluit,
Ex oleo coctum frigus depellit inunctum:
Si tritum mixto uiolento soluis aceto,
Lumbricos tali potu, tineasq́ repellis:
Cum uino ciet urinas, & menstrua purgat,
Virgine cum cæra 2 uetus huic axungia mixta
Non modò parotidas 3 uerū quoscunq́ tumores
Curat, uel reprimit, si sæpiùs hæc superaddas.
Intinctum ualido si manducetur aceto,
Sæpè solet uomitum, uentremq́ tenere solutum,
Si trito tegitur pectus, succusq́ bibatur,
Vrinæ clausos reserat quoscunq́ meatus,
Illius elixatura uertigo fugatur,
Si caput hac tepida patientis sæpè lauetur,
Herbaq́ temporibus, & fronti cocta ligetur.

SCHOLIA.

1 Lateris sedare dolorem] *costalem intelligit, quem pleuriticum nominant.*

2 Virgine cum cęra] *Cæram dicimus uirgineam, quæ est de trunco apum examine.*

3 Non modò parotidas] *quid sit Parotis, dictum est.*



DE ATRIPLICE. Vō Moltē oder Miltē. Item ſcheiſz kraut. Cap. 28.

De Atriplice, uel ἀτραφάξιδ', ἢ χρυσαλαχάνου Gal. lib. 6. Simplicium cap. 69. & lib. 2. Alim. cap. 44. Dioſ. lib. 2. cap. 110. Serap. aggregat. capi. 146. Plin. lib. 27. Col. lib. 12. Raſes 3. ad Almanſorem.

INfrigidare gradu primo, humectare ſecundo
Atriplicem dicunt, eius mollit cibus aluum,
Duritias ſoluit uarias, clauisq; 1 medetur
Emplaſtrum crudæ, uel coctæ ſi ſuperaddas:
Hocq; ſuperpoſitum ſcabros 2 citò detrahit ungues,
Ignibus & ſacris dicitur ſic poſſe mederi.
Atriplicem tritam cum nitro 3 melle & aceto
Dicunt appoſitam calidam ſedare podagram
Ictericis, dicitq; Galenus 4 tollere morbum,
Illius ſemen cum uino ſæpius hauſtum.

SCHOLIA.

1 CLauis medetur] *id eſt, pedum porris melancholicis, ſeu melancholia ortis.*

2 Scabros

2 Scabros ungues] *citò, id est, sine iniuria. sic Plinius 4. de Re medica, cap. 7.*

3 Cum nitro] *sale nitri, de quo Dioscorides lib. 5. cap. 84. uulgò salpeter.*

4 Dicit Galenus] *In lib. Simplicium medic. 6. cap. 69.*



DE CORIANDRO.

Von Coriander.

Cap. 29.

De Coriādro, Græcis κόριον uel κυρίαννον dictū, Dioscorides lib. 3. cap. 64. & lib. 6. cap. 9. Serap. lib. aggregat. cap. Diabora. Gal. lib. 7. Simplicium libro cap. 41. Auic. libro 2. cap. 144. Plin. libro 20. cap. 20.

FRigida uis herbę coriandri 1 dicitur esse,
Austereq́ simul quiddā uirtutis habere:
Hancq́ Galenus ait, per quam depellere uentre
Lumbricos, tineasq́ solet, si trita bibatur.
Cum uino uel si mixta sumatur aceto,
Vna cum passa 2 coriandrum, melq́ iugatum
Sedabunt uarios superaddita trita tumores:
Pręcipuè testes tumidos iuuat hoc medicamen.
Illius semen uentrem stipare solutum

Fertur, aquæ iunctum fuerit si sæpius haustum.
Argenti spumam 3 cerussæ 4 contere mixtam
His tritis succum coriandri iunge, & acetum
Quatuor his roseum miscendo iugabis oliuum,
Ista terendo simul preciosum conficis unguen,
Quo sacros ignes pellas, calidos'q; tumores.
Si tibi difficilis confectio tanta uidetur,
Succus cum solo prodest commixtus aceto.
Et si frumenti panis mundissima mica
Iungitur huic succo, sedat quemcunq; calorem.
Huic succo si iuncta fabæ sit sola farina,
Et superaddatur scrophis, medicabitur illis,
Et cedet feruens emplastro pustula tali.
A' multis scriptum legitur, febris ante tremorem
Si tria grana uoret coriandri seminis æger,
Euadet febrem, cui dat lux tertia nomen.
Præstat idē lectum coriandrum mane, priusquā
Sol surgat, ceruicali si subditur ægri.
Xenocrates scripsit totidem cessare diebus
Menstrua, quot mulier coriandri grana uorabit.
Assiduum quidam condemnant illius usum,
Nempe putāt mortē, 5 quēuis'ue parare dolorē.

SCHOLIA.

1 COriandri dicitur esse] *Persuasum aliquibus est coriandro cimices nomen fecisse, quòd folia eius, & caules cimices post frictū oleant. Sed multi quoq; quasi Coriambion dici fatentur, quod herbam significat oculorum pupulas hebetantem: oculis enim proficuum nusquam legitur.*

Vna

2 Vna cum passa] *cum uino cocto.*

3 Argenti spumam] *per argenti spumã lythargyron intelligit, quod uulgò Silberglettin dicimus, & uenenis, si propinemus connumeratur, sicut Dioscor. lib. 6. cap. 72. bene indicat. De hac spuma qua arte fiat, idem Dioscor. lib. 5. cap. 56.*

4 Cerussæ contere] *De cerussa, quam Germani Bleyweis nominant, Dioscor. lib. 5. cap. 57. & lib. 6. cap. 22.*

5 Nempe putant mortem] *Etenim uenenum esse rerũ periti testantur, nisi ipsius malitia aceto, in quod per dies aliquot infunditur, resecetur. Venenum esse apud Dioscoridem leges lib. 6. capite 9.*



DE NASTVRtio. *Von Kressig oder Gartenkressich.* Cap. 30.

DE καρδάμῳ *Dioscor. lib. 2. cap. 144. Galenus Simplic. lib. 7. cap. de Natur. Ras. 3. ad Alm. Auic. primo can. Fen. 4. cap. 7. Plin. lib. 20. cap. 19. Et lib. de Remed. 4. cap. 12. Lucius Apulei. in hist. herb. ca. 20.*

Dicunt

DIcunt feruẽtes quod habẽt nasturtia 1 uires,
Et siccas hac re Venerem ceu ruta coërcet,
Siccando semen fuerit si sumpta frequẽter,
Fermenta commixta recens hęc herba terendo
Andracas 2 curat, bona quę plebs ulcera dicit:
Si superaddatur, curat furunculus 3 ista
Emittit saniem, cum qua dolor ipse recedit.
Illius succus crines retinere fluentes
Illius asseritur, dentisq́ leuare dolorem,
De qua parte dolens dens est infusus in aurem,
Fortius est herba semen, depellit abortum.
Haustum cum uino, uentrisq́ animantia pellit,
Et sic serpentis dicunt obstare uenenis.
Solus odor positi carbonibus effugat illos,
Splen reprimit mixto, si sæpè bibatur, aceto.
Herbam uel semen cum polline iunge & aceto,
Hæc contrita simul schiasis superadde dolori.
Vtile non modicum confirmant hoc medicamẽ,
Lichenas 4 succus purgabit melle perunctus,
Si prurigo caput, aut ulcera turpia fœdant,
Anseris admiscens adipi nasturtia trita,
Sæpius unge caput, uitium pelletur utrumq́.
Si coquis hanc herbam capræ cum lacte recenti,
Illius aut semen dolor angit pectora quisquis
Assumpto tepido potu sedabitur isto.
Semen cum tepida cõtritum pondere drachmæ,
Et bibitum, dicunt duram quod molliat aluum.
Tussim compescit semen cum melle uoratum.

SCHOLIA

SCHOLIA.

1 NAsturtia uires] *Nasturtiū, Plinio & Varrone testibus, à naribus torquendis appellatū est, quòd odore & seminis acrimonia sternutamenta prouocet. Sed Græci Cardamon dictum arbitrantur, quod cordi, cor enim cardian uocant, utile & accommodatum habetur.*

2 Andracas curat] *de his dictum est.*

3 Curaq; furunculus] *Furunculi grana sunt minuta in facie, seu pustulæ albæ, quas alio nomine papulas uocamus.*

4 Lichenas] *cutis asperitatē, quæ aliquādo in leprā mutatur.*



DE ERVCA.
Von Weifs Senff.
Cap.31.

DE Eruca, quæ Græcis Εὔζωμον *dicitur Diosc. lib. 2. cap. 129. Gal. lib. 2. Aliment. cap. 51. Plinius libro 19. cap. 8. Serap. aggregat. ca. 224.*

ERucam calidā dicūt medio
criter esse,
Siccam non adeò, cibus eius digerit escam:
Tertius erucæ fertur gradus esse caloris,
Et ualet urinas hæc mansa, uel hausta mouere,

Man-

Manditur utiliter pueris, tusſimq́; repellit.
Emundare cutem maculis cum melle iugatam
Tradunt, & mundos lentigine 1 reddere uultus.
Elixata prius radix, ualideq́; ſubacta,
Oſsibus, & fractis ſuperaddita, reijcit illa.
Cum uino tritum ſi ſemen ſumitur eius,
Quoſuis peſtiferos ictus curare uidetur.
Hæc nigras maculas purgat cum felle bouino
Illita, mira loquor, cum uino largiùs hauſtam
Indurare ferunt hanc contra uerbera ſenſum.
Si conditurìs coquus hanc admiſceat herbam,
Aut ſemen, gratum dicunt præſtare ſoporem,
Euzomonq́; 2 ſolent hac cauſa dicere Græci
Erucam, ſuccus quòd guſtu ſit bonus eius:
Nõ modicè mãſam Venerẽ ſtimulare, uel hauſtã
Confirmant medici pariter, pluresq́; poëtæ.
Eſt cum lactucis hæc herba comeſta ſalubris:
Namq́; calor dat temperiem cũ frigore mixtus.

SCHOLIA.

Lentigine reddere] *Lentigines faciei maculæ ſunt, à ſimilitudine lentis dictæ.*

2 Euzomonq́; ſolent] *Cibos ſaporoſos facit hæc herba, & peculiarem illis parit gratiam. Vnde hoc nomen Græci indidêre. Sed ab erodendo Erucam nominatam fama habet: hãc enim ſi guſtaueris, linguam uellicat, ſatiſq́; acriter mordicat.*

DE



DE PApauere. Von Klapperrosen/ Kornrosen.
Cap. 32.

DE papauere, Græcè μήκων, Galen. 7. Simplic. capite 102. Auic. Cano. 2. cap. de papau. Serap. agg. cap. Caxchax. Dioscor. libro 4. cap. 62.

Dicunt uim gelidā, siccamq́ papaueris esse,
Tres illi tribuunt species, flos unius albus,
Alterius roseus, rubeusq́ minoris:
Flos est, hanc uulgò dicunt agreste papauer,
Cunctis nobilior est, cui flos innascitur albus,
Ex huius teneris faciunt opium capitellis.
Incisa leuiter summa cute, lacq́ quod inde
Defluit, accipiunt cocleis, succumq́ reseruant
Antidotis multum aptum, uarijsq́ medelis.
Sunt qui contundunt cum lacte suo capitella,
De quibus expressum, siccant in sole liquorem:

Post primum succus uires habet iste secundas,
De specie uerò roseos, quam gignere flores
Dixi, conficiunt oleum de semine tonso,
Non modicum gustu iucũdum somni, ferum'q;.
Tertia cui flos est rubeus, semen'q; nigellum
Præstat, si bibitur, reliquarum more 2 soporem
Elixatura tepida cuiuslibet harum,
Aeger si foueat faciem, uel si bibit illam,
Optatum capiet, nisi mors sit proxima somnum.
Sperma nigri 3 bibitũ cum uino stringere uentrẽ
Dicitur, hoc'q; modo menses retinere ualebit.
Somnũ dat bibitum, tussim compescit iniquam,
Pondere denarij debent hęc semina sumi.
Nam plus lethargum 4 uel mortẽ sæpius infert.
De folijs eius tritis factum cataplasma
Eximiè fauces 5 dicunt curare tumentes:
Quos'q; uocant sacros extinguere dicitur ignes,
Frigore, uel cantu, potu'ue, cibo'ue, uel æstu.
Aspera si fuerit uocalis 6 reddita uena,
Apposito tali fiet medicamine lenis.
Candida Miconi species (sic nempe uocari
Græcorum lingua dicunt quodcunq; papauer)
Longè nobilior est, utilior'q; duobus:
Tunc cum lacte fluunt capitella papaueris huius
Lecta coquantur aqua, cui sit pars tertia mellis
Addita, cuncta coquis, donec decoctio spissa
Sit quasi mel, uarios sic conseruetur ad usus:
Sũpta facit somnũ, tussim fugat, abstinet aluũ.
Vocalis uenæ bene rheumatismata siccat,

Eiusdem

Eiusdem teneris opium factum capitellis,
Sicut iam docui, roseo miscebis oliuo:
Vnge caput mixtis, sedabitur his dolor omnis.
Et solet hoc unguen somni præstare quietem,
Prædictis admisce croci 7 redolentia fila.
Auris curabis hæc infundendo dolorem:
Hoc quoq; fœmineo cum lacte, croco'q; subacto
Vngendo calidam poteris sedare podagram:
Ano suppositum solet hoc adducere somnum,
Illud idem solo præstare uidetur odore.

SHOLIA.

1 INcisa leniter] *Quomodo conficiatur opium scribit Macer. De opio dictum est ex sexto Dioscoridis libro.*

2 More soporem] *Per soporem non simpliciter somnum intelligit, sed profundum quasi, uel longiorem, uelut ex his Plinij uerbis deprehendimus: Quando inquit curandum est, ne somnus sopor fiat.*

3 Sperma nigri] *liquidum ex papauere.*

4 Lethargum infert] *Notandum est Lethargum ex tota uocis æstimatione nihil aliud esse, quàm uel obliuiosam desidiam, uel desidiosam obliuionem, inexpugnabilem'q; dormiendi necessitatem, Galeno autore in suo Diffinitionum libro.*

5 Fauces tumentes] *Branchum intelligit.*

6 Vocalis uena] *trachæam arteriam uocalem uenam nominat, quam quidã spiritalem fistulam uocant, Græci pharingã.*

7 Croci redolentia fila] *id est, croci flores.*



DE CEPIS. Von Zwibel. Cap. 33.

DE Cepis uel κρομμύοις Galen. Simpl. libro 7. cap. 56. & li. 2. de Alm. ca. 68 5. Serap. agg. 355. Plin. libro 19. cap. 6. & lib. 20. ca. 5. Diosc. lib. 2. cap. 139.

DE cepis 1 medici nõ cõsentire uidentur,
Nã'q; Dioscorides inflare, caput'q; grauare,
Atq; sitim cepas dixit succendere mansas:
Fellitis 2 non esse bonas, ut ipse Galen. 3
Phlegmaticis uerò multum putat esse salubres.
Non modicum sanas Aesclepius asserit illas,
Pręsertim stomacho, pulchrum'q; creare colorem
Affirmat, quoties aliquis conspexerit illas,
Et dicit quisquis ieiunia 4 soluerit illis
Vnaqua'q; die, quòd uiuet hîc absq; dolore.
Affirmant omnes mansas inferre soporem.
Et dicunt illas mollire salubriter aluum:
Appositos perhibent morsus curare caninos,
Si tritę cum melle prius fuerint, uel aceto.

Appo-

Apponunt alij cum uino melleq; tritas,
Transactisq; tribus soluunt cataplasma diebus:
Sal tritum, cepasq; Dioscorides iubet, anguis
Morsibus apponi, sic asserit ille iuuari.
Fœmineo lacti commixtus succus earum
Pellit sæpe graues infusus ab aure dolores:
Hic succus commixtus aquæ, bibitusq; iuuabit
Illos 5 quos subitus facit obmutescere morbus.
Naribus attractus harum tantummodo succus
Humores nocuos capitis deponere cogit:
Mansæ uel potæ tardantia menstrua purgant,
Triturasq; 6 pedum soleæ quas uel caligarum
Duriciæ faciunt, succo sanabis eodem.
Cum gallinarum pingui si sæpe perungas,
Manè sibi dentes qui lucco perfricat isto,
Dicunt hunc dentis nunquam sentire dolorem.
Vlcera compescunt oris cum pane comestæ,
Intingens oleo coctas, qui sumpserit illas:
Sedat quos intus dat dyssenteria 7 morbos.
Contritis cepis loca denudata capillis,
Sæpe fricans capitis poteris reparare decorem.
Oris fœtori prosunt, fastidia tollunt,
Hasq; iubēt hœmorrhoidis 8 superaddere tritas,
Illarum succus caligine lumina purgat:
Admixtus melli maculas quoq; iunctus aceto
Emendare solet, si sint hoc sæpe fricatæ.

SCHOLIA.

1 DE cepis medici] *Apud Aegyptios morsu cepas lædere fuit religio, saltē quòd eas sacras crederent, & utrasq; lunæ fortunas imitari, facilè enim patet, luna toto orbe fulgente cepas augeri ac syderis fulgore minuto eas minui. Tamen medicinis adhiberi nulla lege cautū fuit, neq; edicto prohibitum. Vnde Macer dissonantiam autorum allegat, qui cepas antidotis insinuare statuunt.*

2 Fellitis non esse] *id est, cholericis quibus exundat bilis.*

3 Galenus] *libro secundo de Aliment. cap. 68 5.*

4 Quisquis ieiunia soluerit] *id est, qui ieiuno stomacho quottidie cepas uorauerit.*

5 Illos quos subitus] *id est, qui loquelam amiserunt.*

6 Trituras pedum] *calles pedum intelligit.*



7 Dyssenteria morbos] *Dyssenteria cum intestinorum excoriatione fluxus uentris est.*

8 Hæmorrhoidis] *de his dictum est.*

DE BVGLOSSO. Von Ochsenzungen. Cap 34.

De βογλώσσῳ *Dioscor. lib. 4. cap. 123.*

L. Apu-

L. Apuleius lib. de Virt. herb. cap. 41. Plin. lib. 25. cap. 8.

LIngua bouis Graio sermone buglossa 1 uocatur,
Hæc cholerã 2 rubeã nimio feruore perustã
Purgat, cum uino fuerit si sumpta frequenter
Cardiacum 3 choleræ 4 quem fecit copia nigræ,
Consimili potata modo curare ualebis.
Humores nocuos pulmonis detrahit hausta,
Mixtus aquę tepidæ si succus sumitur eius,
Illi qui patitur schiasim miré medicatur.
Vim memorem cerebri dicunt seruare periti
Vinum potatum, quo sit macerata buglossa.
Lætas 5 conuiuas decoctio dicitur eius
Reddere, si fuerit inter conuiuia sparsa.

SCHOLIA.

1 BVglossa uocatur] *Quam nulla in herbæ istius repe riatur autorum symmetria, Leonicenus Manardus, Vergi lius Macellus & L. Fuchsius bene ostendunt, dum omnes fermè Boraginem, Buglosson esse contendunt. Sed quia Macrum interpretari deliberatum est, lectorem ad præfatos remitto, ut ex illis ancipitem opinionẽ postponat, & rectissimè Buglosson à Boragine distinguere addiscat.*

2 Choleram perustam] *bilem incineratam.*

3 Cardiacũ] *Cardiaca passio cordis tremor est, uel oris stomachi dolor, & punctura ab Hippocrate lib. 5. de Loc. affect. καρδιωγμὸς dicta.*

4 Choleræ nigræ] *id est, melancholiæ.*

5 Lætas conuiuas] *Vinũ Buglossatum animi uoluptates auget, & uocatur inquit Plin. Euphrosinum. Sed de eo multa ha-*

bes apud Arnoldum de Villa noua in libro de uinis.



DE SINAPIO. Von Senff. Cap. 35.

DE sinapio Græcè Σίνηπι *Auic. secund. Cano capite 683. Serap. lib. aggregat. cap. 373. Plin. lib. 20. ca. 22. Galen. 7. Simpl.*

INter eas quas Pythagoras laudauerit herbas,
Asseritur primã laudẽ tribuisse sinapi,
Quart9 ei gradus est in ui sicca, calidaq́;,
Extrahit humores uiscosos, extenuatq́;,
Comburit cutem, uis illi 1 est tanta caloris,
Maior uis eius in semine dicitur esse,
Sensus exacuit, cibus eius commouet aluum,
Confringit lapides, urinamq́;, menstrua purgat,
Si tritam iungas tepidæ 2, uersesq́; 3 palato,
Ad solem capitis purgabit phlegma nociuum,
Sternutamentis 4 hoc admiscere salubre est.
Isto nam capitis strictura resoluitur omnis,
Mansum confortat stomachum, suspiria 5 sedat:

Morsum

Morsum serpentis trito si iungas acetum,
Et superponas tali medicamine curas,
Mansum pestiferos uetat intus lędere 6 fungos,
Vi nimium feruente cutem comburere dixi.
Sed tamen hęc multis est utilis 7 ustio causis,
Hac oculis 8 nocuus capitis sedabitur humor,
Et qui distillans pulmonum concaua lędit,
Et stomachi, morbosq; curat, tussimq; phthisimque.
Huc per uesicas coxę dolor inueteratus
Elicitur, schiasim quam Gręco nomine dicunt,
Hacq; tumor splenis durus, iecorisq; fugatur.
Et multum causis hęc subuenit inueteratis,
Vtile tot causis quoniam cataplasma sinapis,
Sæpius à medicis uariatur conficiendo.
Hoc dicam qualiter fieri iubeat Meniacus,
In mortariolo 9 tritum bene pone sinapis
Semen, iungatur panis huic candida mica
Sic, ut tertia pars sit panis iūncta sinapi,
His ficus siccas, & mel iungas & acetum
Aetatis quantum, uel morbi causa requiret.
Nam quo plus ficus siccæ, uel mellis habebis
Ille sinapismus, tanto solet acrior esse:
Debilior, quo plus panis micas & aceti.
Ne tibi sit uilis moneo confectio talis,
Effectum cuius in multis sępe probaui,
Non tamē hanc iubeo cunctis apponere morbis,
Sed rarò, magnis & causis inueteratis.
Plinius in musto cum semine pręcipit huius
Radices mergi, sic postquam senserit harum

Omnem uim uinum, multum putāt esse salubre.
Faucibus & stomacho potatum, luminibusq;,
Pluribus & capitis dicunt prodesse querelis:
Infuso 10 faciunt oleum de semine quidam,
Vtile lumborum uitijs, stupidis quoq; neruis:
Exprimitur succus tenero de caule sinapis,
Quod sicco mandens dentis tormenta fugabis,
Vocales uenas 11 semen lenire sinapis
Mansum confirmant, adipi tundendo uetusto
Commixtum scrophas dispergit si superaddas.
Illius fumus multum prodesse caducis
Dicitur, atq; sterae 12 causas siccando iuuare,
Cum ficu tritum capiti superaddere raso
His qui lethargum patiuntur magna medela est,
Vel si saepe pedes ungendo fricabis eorum.
Semen contritum melli coniunge uel uncto,
Illud alopecias 13 iuuat unguem saepe fricando,
Acri cum uino lepras emendat inunctum,
Hoc quoq; curatur manso periodica 14 febris,
Antea quam diri ueniat commotio morbi.

SCHOLIA.

1 VIs illi est tanta caloris] *id est, causticam uim habet, quam aduratiuam quidam uocant.*
2 Tepidae] *aquae.*
3 Veresq; palato] *hoc est, si eo seminis decocto pro collutione utaris.*
4 Sternutamētis] *quod est puluerib. naribus insufflādis.*
5 Suspiria sedat] *à uiscoso humore difficultatem anhelitus proscribit.*

6 Vetat lædere] *fungorum coërcet malitiam, qui uentrem inflando disturbare comesti solent, atq; cùm anhelitus difficultate quandoq; mortem pariunt.*

7 Vtilis usiis causis] *De sinapismo loquitur Macer, quem sæpè Dropacem nominamus, aut Dropodismon. Et est rubrificatiuum medicina ex sinapi, seu uesicatoria.*

8 Hac oculis nocuus] *hic usum & utilitatem dropodismi ostendit.*

9 In mortariolo] *quomodo sinapismum arte parare debeamus docet.*

10 Infuso faciunt] *De olei huius confectione scribit Auicenna.*

11 Vocales uenas] *trachæas arterias intelligit.*

12 Steræ causas] *uuluarum conuersionem seminis tremor excitat, inquit Plinius.*

13 Illud alopecias] *Alopecia casus capillorum est, à uulpe nomen habens, qui eo item morbo laborat.*

14 Periodica febris] *id est, interpellata, ex cholera extra uenas putrescente, quæ de tertio in tertium diem manifestè affligit.*



DE CAVLE. Von kól oder kabiskraut. Cap. 36.

De caule uel κράμβη Gal. 7. Simp. med. cap. 47. Auic. cano. secun. cap. 143. Serap. aggr. ca. 32. Gal. 2. de Alim. ca. 143. Dios. li. 2. ca. 111. M. Varro de re rus. ca. 157. Pli. li. 19. c. 7.

CAulis Romana, Græcorũ Brassica lingua
Dicitur, is quamuis 1 passim nascatur in hortis,
Est tamen illius ad multa salutifer usus.
Annis sexcentis usos medicamine caulis
Romanos Cato testatur, medicina 2 priusquã,
A' medicis Romæ descripta fuisset in usu:
Tunc hortus escas illis dabat, & medicinas,
Vulnera non tantum curare recentia caulem
Ipsemet 3 affirmat, sed quamuis inueterata
Et cancros etiam, loca sed prius amne lauari
Præcipit, aut uino tepido, sic deniq; crudum
Vnaquaq; 4 die his, tritum apponere caulem
Hordea quam dederint cauli miscere farinam
Idem præcepit, tritum quoq; cum coriandro 5
Et sale permodico, sic omnia mixta terendo

Apponi

Apponi diræ docuit cataplaſma podagræ.
Hoc etiam morbis medicabitur articulorum:
Hoc quoq; ſyringas 6 ait,& luxata iuuare,
Atq; ſuperpoſitum uarios ſedare tumores,
Illius urinam fuerit qui caulibus uſus.
Cauſis neruorum calefactum cenſuit aptam,
Hac ex urina pueri ſi ſæpè lauentur,
Aſſerit illorum multum conferre ſaluti.
Hæc narrat de caule Cato, ſcripſiſſe libellum
Chryſippum 7 dicunt,huius de uiribus herbæ
Omnes confirmant,caligine lumina tergi
Eius,qui uiridi ueſcatur caule frequenter.
Auget lac mammis cibus eius;menſtrua purgat,
Atq; iuuat ſtomachũ ſumptas ut cõcoquat eſcas.
Si multum coquitur,reſtringere dicitur aluum,
At ſemicrudus ſolet illum ſoluere ſumptus:
Ac ſumptus crudus,ſic ut tingatur aceto,
Splen reprimit tumidum:ſemen depellit abortũ,
Vino cum ueteri coctos benè contere caules,
His oleum roſeum quantum res poſtulat addas,
Ardores nimios iuuat hæc confectio 8 febris,
Si ſuperaddatur ſtomacho,membroue calenti
Acri non ſciſſum 9 ſi mergis alumen aceto
Et caules, ſic ut corpus redigantur in unum
Cuncta terẽdo dici potes hoc compeſc e leprã,
Et plures alias maculas his ſæpè perungens.
His etiam crinis poteris retinere fluentes,
Dicitur & teſtes iſtud curare tumentes,
Et uarios morbos genitalia quæ patiuntur.

Et

Et melius si prædictis faba cocta iugatur,
Cum fœnu Græco si tundis hanc,& aceto,
Et super artheticos apponas ista dolores.
Multum subueniet illis, uicijsq; podagræ
Non modicum poterit istud cataplasma mederi.
Vino cum ueteri caulis cineres bene triti
Prosunt ad ueteres lateris, coxæq; dolores.
Sit licet hæc uilis, tamen est medicina salubris,
Si caulis semen mixto potatur aceto,
Pellere sæpe solet animalia noxia uentris.
Fit cinis ex siccis caulis radicibus ustis,
Subditus, hic uuam releuat siccando iacentem:
Dentibus attriti succum glutire uirentis
Affirmant raucæ multum succurrere uoci,
Naribus infusus succus, purgat caput eius,
Qui prius 10 est caules, uix sentiet 11 ebrietatem,
Euulsam caulis radicem, postea terram,
Quæ non attigerit, collo Melinius inquit,
Suspensam uarias uuæ depellere morbos.

SCHOLIA.

1 Quamuis passim nascatur in hortis] *licet propter sui copiam uilis habeatur. Vilia enim sunt & cōtempta fermè, quæ abundant, sicut his uerbis Octauius Cleophilus ostendit,*

Optima quadriuio non inueniuntur in omni
Nobilius quantò rarius omne uides.

2 Medicina priusquam] *Vsq; ad tempora Catonis Censorij saltem hortorum cura, sine medicis usi fuerāt Romani, sed eodem Censorio suasore ex Græcia denuò uocati sunt, quorū præsidijs*

diis frui sanitate sperabant. Qui tamē, quod Romanos barbaros ducerent, in eos falsa, dolosáq; usi sunt medicatione, & ob hoc unum omnes turpiter ab Vrbe proscripti, eorumq; in locum rationales medici, sicut hoc loco Macer innuit, plantati. Ea pulchrè describit Plinius lib. de re medica 4. cap. 29.

3 Ipsemet affirmat] loco præscripto.

4 Vna quaq; die] Plinius id medicaminis antidotum Catonis nominat.

5 Cum coriandro] De coriandro dictum est cap. 29.

6 Syringas] id est, fistulas, ut priùs dictum est.

7 Chrysippum dicunt] peculiarem de Brassica, omniū morborum curas continentem librum conscripsit Chrysippus, autor est Plinius.

8 Confectio febris] febrium ardores mitigat.

9 Non scissum alumen] Vt differenter scribit Macer, alumen non scissum suæ traditioni infert, innuens utendū esse uel rotundo, quod saccarinū uocant, seu alumine de Roche uel Lipparino. Nam tria genera Cassius Felix capite de passionibus stomachi habet.

10 Qui priùs est] id est, qui priùs commedit.

11 Non sentiet ebrietatem] Aristoteles Brassicam, quam Iulius Pollux Cramben, Theophrastus raphanum uocat ebrietati obniti, saltē propter suam dulcedinem scripsit: id quod in rei medicæ professoribus notum esse quoq; deprehendimus. Etenim si uinolentia grauatos uiderint, mox aduersus euaporantis fumi, ex uini reliquiis, uim, panē melle illitum porrigunt, ut repercussu malo grassanti obueniat dulcedo. de qua re prolixiùs scriptum habetur in mea tuendæ sanitatis ratione ad medium fermè tertii dialogi.

DE



DE PASTINA-ca. Von Pastiney, Gerlin, oder Mören. Cap. 37.

De pastinaca uel Σισα ρῳ Diosc. lib. 3. cap. 76. Plin. li. 19. ca. 5. Serap. agg. lib. cap. 265. Gal. li. 6. Simp. cap. 105. & ad Patern. cap. 218. & lib. 8. simp. ca. 116. Pli. itē in li. de re med. li. 4. cap. 32. L. Apuleius li. de uirtut. herb. cap. 81.

Est pastinacæ uirtus in semine tāta
Et radice sua, mulsa si decoquis eius
Radices, multum decoctio proderit eius:
Si potanda datur splenis, iecorisq; querelis
Lumborumq; iuuat eadem potata dolorem,
Has si lacte coquas, decoctio sumpta iuuabit
Asthmaticos, quāuis ueteres, uentresq; fluentes
Radix illius collo suspensa, tumores
(Vt quidam dicunt) compescit testiculorum.
Qui pastinacam fert, aut qui mandidit illam,
Dicitur à nullo serpente posse noceri:


Accen-

Accendit Venerem, si largè sumitur illa,
Si circum scalpis dentes radicibus eius,
Dicunt ingenti persæpè dolore iuuari.
Ex uino pastinacæ si sperma 1 bibatur,
Compescit diros, quos scorpion intulit ictus:
Sic quoq; fœminei 2 uentris curare tumorem
Dicunt, quod mulier quasi prægnãs esse uidetur:
Appositum cancris totum cum melle medetur,
Quòd pastum tribuat est pastinaca uocata,
Namq; cibum nullæ radices dant meliorem.

SCHOLIA.

1 SPerma bibatur] *sperma, id est, semen.*

2 Fœminei uentris tumores] *Molã intelligit, quã Aegineta magnũ uentris tumorẽ, omnia ueræ impregnationis signa ementientẽ, nominat.*



DE ORIgano. Von Wolgemuth. kosten. Cap. 38.

ORigani uires calidę, siccęq; leguntur, Ter-

Tertius huic in utroq; gradus conceditur esset
Illius in uino curat decoctio sumpta,
Quosuis pestiferos morsus, si sæpe bibatur.
Cum mulsa sumpta prodest aconita 1 bibenti,
Sic multis aliis dicunt obstare uenenis:
Conquassata iuuat mansum, uel sępius haustum,
Hydropicos reprimit bibitum, siccatq; tumores.
Cum mulsa bibitum cholerā deponere nigram
Dicunt, oxybaphi 2 fuerit si pondere sumptum:
Menstrua deducit bibitum, uel si superaddas
Tritum, uel cocta mulier si se fouet herba.
Illius puluis tussim cum melle repellit,
Pruritus, acoras 3 maculasq; cutis fugat omnes.
In quo decoquitur si sæpius amne lauentur
In lauacro, iuuat ictericos hæc coctio sumpta.
Succus prædictæ uiridis si sumitur herbæ,
Vuas 4 & fauces 5 curat siccando tumentes.
Oris uulneribus 6 medicabitur ore retentus,
Naribus infusus, Irino 7 mixtus oliuo:
Infusum capiti coget manare cruorem,
Auribus infusus sedat cum lacte dolorem.
Hic succus mixtus cepis & rosyriaco 8
Ponitur ad solem, tunc quando Syrius 9 ardet,
Sicq; quater denis feruebit in aëre diebus:
Si supponatur lecto confectio talis,
Effugat (ut dicunt) animalia cuncta nociua.
His quibus ex aliquo uitio digestio tarda
Euenit, ex uino prodest albo: si sumitur
Cum calida morsus stomachi lenire probatur,

Illius

Illius ſuccos oleo mixtos & aceto
Succida 10 lana bibat 11 & ſic ſuperaddita mēbris
Laxatis, uel contuſis multum iuuat: illa
Prouocat urinam, lumbricos proijcit hauſta.
Dente diu tritum ſolet inde fugare dolorem,
Omnia potatus ſuccus iuuat interiora:
Eius cum ſucco ſi carica trita bibatur,
Sudorem poris producere fertur apertis,
Appoſitus coxis ſuccus cum polline farris,
Harum ſæpè grauem pellit, reprimitue dolorem.

SCHOLIA.

1 Aconita bibenti] *id eſt, uenena, dollwurtz.*

2 Pondere oxybaphi] *Siluaticus oxiſabum habet, & eſt ponderis genus, Græcis oxonoſos dictum, faciens dimidium ſextarium.*

3 Acoras pellit] *id eſt, capitis tubera, quæ aliquibus ptiria nominantur, ſicut in Galeni libro de facilè acquiſibilibus legimus.*

4 Vuas curat] *uuulam.*

5 Fauces tumentes] *Branchum intelligit.*

6 Oris uulneribus] *id eſt, Alcolæ.*

7 Irino mixtus oliuo] *oleum irinum deſcribit Meſue diſtinctione duodecima, de oleis, & eſt oleum de lilio, quod cœleſte uocant, Blauw gilgen.*

8 Et roſyriaco] *Ros ſyriacus manna eſt, teſte Simphoriano tractat. de febribus, cap. 10.*

9 Syrius ardet] *id eſt, caniculæ ſydus, quod eſt in centro fermè cœli.*

10 Succida lana] *impurgata, uel ſuis adhuc ſordibus repleta, qua ad unguentū utimur, quod Eſopū humidā nominant medici.*



11 Bibat] *pro, imbibat.*

DE SERPYLLO.

Von Quendel, hüner köl. Cap. 39.

De serpyllo uel ἑρπύλλῳ Græcè Diosc. lib. 3. cap. 41. Theophrast. lib. 6 de plant. historia. Plin. de re med. lib. 4. cap. 38. L. Apul. cap. 100.

SErpyllum ueteres dixerunt quòd quasi serpat
Terræ uicinum, huic feruida, siccaq́ue uis est,
Acri cum uino coctum contundis oliuo,
Cui rosa 1 dat nomen, hoc unguine perlue frontē
Aegroti, capitis solet hoc sedare dolorem:
Nidor 2 combusti serpentes effugat omnes,
Et quoduis animal infundens ore uenenum,
Hoc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Vt si forte sopor fessos depresserit illos,
Vermibus à nocuis tutò requiescere posśint.
Pestiferos morsus bibitum iuuat, appositumq́ue
Prouocat urinas, compescit tormina uentris:
Splen iuuat admixto si sæpè sumatur aceto,

Si

Si mel prædictis iungatur, sputa cruenta
Iactantes, mirè potus solet ille iuuare.
Haustum cum uino iecoris sedare dolorem
Dicitur, hicq; solet producere menstrua potus.

SCHOLIA.

1 CVi rosa dat nomen] *oleum rosaceum intelligit.*
2 Nidor] *id est, cremor.*

DE VIOLIS. *Von Violaten, Mertzen negelin.*



De uiolis uel ἴοις *Gal. lib.6. Simp. cap. de uiolis, Mesue in lib. de simp. med. cap. 90. Serap. lib. aggre. cap. 141. Plin. lib. 21. cap. 6. Diosc. lib. 3. cap. 129.*

NEc roseus superare decor, nec lilia possunt
Fragrantes uiolas specie, nec ui, nec odore:
Dicitur humida uis illis, & frigida primo
Esse gradu, species tres esse leguntur earum,

Noſcere quas tantum diuerſo flore ualemus.
Nam ſunt purpurei flores, albiq́ꝫ 1 nigriq́ꝫ,
Cunctis penè pares ſunt in medicamine uires:
Inflammata iuuant loca, tritæ ſi ſuperaddas
Crapula diſcutitur bibitis, capitisq́ꝫ grauedo:
Olfactum ſolo, uel ſi caput inde coronas
Anginis 2 potæ medicantur aquæ reſolutæ.
Purpuream uiolam dicunt curare caducos,
Præcipuè 3 pueros, ſi mixto ſumitur amne:
Radices uiolæ cum myrrha tunde, crocoq́ꝫ
Hæc inflammatis oculis apponito nocte:
Contritis folijs uiolæ cum melle perungens,
Vlcera ſanabis capitis ſi iungis acetum,
Et cataplaſma facis, cedet collectio quæuis:
Illius curat elixatura tumorem
Matricis tepida ſi ſæpè fouebitur illa.
Ani fiſſuras quas appellant 4 ragadias,
Addita ceratis medicatur ſæpè perunctis,
Puſtula ſi fuerit, melli ſuperadde iugata:
Illius ſemen cum uino, menſtrua purgat,
Tritæ cum mixto radices eius aceto:
Splen ſiccans bibitæ, uel ſpleni ſi ſuperaddas,
Hocq́ꝫ modo calidam dicunt ſedare podagram,
A' ſtomacho choleram rubeam potata repellit.
Herba uirens uiolæ, uel flos, ſiccusúe, recensúe,
Morbos de cholera rubea, uel ſanguine factos
Mollibus in coſtis, aut in pulmonibus ipſis
Sedat, ſi mixto potabitur amne recenti:
Infantum tuſsim, ſic & ſuſpiria ſedat,

Ex

Ex uiolis oleum ſicut de flore roſarum
Conficiunt, multis quod dicunt utile 5 cauſis:
Auribus infuſum, ſonitum fugat atq; dolorem,
Et capiti prodeſt, quocunq; dolore laborat,
Leniter infrigidans, corpusq́; ſopore reſoluens,
Lumbricos necat infuſum, bibitũ, uel inunctum,
Et capitis furfur 6 oleo depellitur iſto,
Os capitis ictu fuerit ſi fortè plicatum
In tantum ut lingua patiens amiſerit uſum.
Fac priùs hanc uiolam cum uino ſumere tritam,
Poſtea ſi fuerit capitis pars dextera læſa,
Contritam plantæ pedis hanc adnecte ſiniſtri,
Atq; econuerſo facias ſi læua plicata eſt.
Os reſilit, linguæq́; die redit uſus eadem,
Vt iuſtus tradit medicus, qui talia ſcripſit,
Altera uis uiolæ fertur mirabilis eſſe:
Albæ ſi uiolæ radix teneatur in ore,
Et tranſglutitus ſic ſuccus ſæpiùs eius,
Vulneris immodicũ tradunt mox ſiſtere fluxum.
Hanc liquiritæ tradit uim Plinius eſſe.

SCHOLIA.

1 ALbiq́; nigriq́;] *Per nigros luteos intelligit Macer, Arabum lingua keiri nominatos, uulgo gäle negelein.*

2 Anginis potæ] *per anginã σινάγχην, quæ faucium ſeu gutturis tumor eſt, intelligit.*

3 Præcipuè pueros] *Hunc caducum morbum, quo ſubinde pueri laborant, quidam infantilem nominãt, & Auicenna proprio capite matrem puerorum.*

4 Ragadias] *Ragadiæ ſunt in ano fiſſuræ, uel à complexione ſicca ortæ, uel ab humoribus acutis, aut medicinis baurachijs inflictæ. Sic Ioannes Math. de gradibus in 9. ad Almanſorem.*

5 Vtile cauſis] *ad quæ oleum cõducat uiolarum Meſue ſcribit antidotarij diſtinct. 12.*

6 Et capitis furfur] *ſquamulas capitis innuit.*



DE ARISTOlochia. Von Holwurtz. Oſterlucey.

Cap. 41.

De ἀριστολοχίᾳ. lib. 6. ſimp. cap. 3. Auer. ſimplicium cap. Ariſtol. Theoph. 9. de plantar. hiſtor. Dioſ. lib. 3. cap. 4. Serap. lib. agg. cap. 171. L. Apul. lib. de uirt. herbarum. cap. 19. Plin. lib. 25. cap. 8.

ARiſtolochiæ 1 ſpecies tres 2 dicimus eſſe,
Longa prior radix eſt, cuius lõga uocatur:
Dicta rotunda ſequens, quo'd ſit radice rotunda,
Tertia Clematis Græco ſermone uocatur:
Viribus hæc penè par dicitur eſſe rotundæ.

Omnes uim calidam, siccamq; leguntur habere,
In primo uis sicca gradu, feruensq; secundo est:
Pestiferos morsus cum uino sumpta rotunda
Curat, & assumptis prodest sic hausta uenenis:
Hocq; modo tardas educit sumpta secundas,
Cũ pipere & myrrha putredine mũdat ab omni.
Post partum potata steras, uel subdita tantùm
Asthmaticis prodest, & frigora sumpta repellit:
Pleureticos 3 curat, mixta si sumitur amne.
Quodlibet infixum superaddita trita 4 repellit,
Vulnera cum mellis purgat, repletq; liquore,
Quod si prædictis irim 5 coniungis, & inde
Vngas gingiuas, dentesq; putredine purgas.
Splenis duritiam soluit, laterisq; dolorem,
Si mixta potatur aqua, febresq; malignas
Hoc potata modo fertur compescere mirè.
Sic etiã spasmis 6 super omnia subuenit hausta,
Et sedat diram sic sæpius hausta podagram,
Et morbum curare solet sic sumpta caducum,
Et uentris nimium sic mitigat illa dolorem.
Sic quoq; fit sumpta leuior paralyticus 7 illa,
Dæmonium fumus depellere dicitur eius:
Infantes fumo dicunt hoc exhilarari,
Fistula 8 curatur huius radicibus herbæ:
Si benè purgatis eius loca concaua 9 farcis,
Singultus 10 sumpta sedari dicitur illa:
Omnia longa potest, quæ dixi posse rotundam;
Longa tamen uires habet illa debiliores,
Vnde quidem si defuerit quandoq; rotunda,

Par pondus longæ ponatur dimidiumq́,
Fomento longæ prodest decoctio mirè.
Matricum morbis humores extenuando
Pingues & purgat, eadem si sumitur, illas:
Plinius hanc formare mares cum carne bouina
Appositum uuluę postquam conceperit, inquit,
Trita necat pisces admixta calce rotunda:
Hanc ideo quidam 11 terræ dixêre uenenum.

SCHOLIA.

1 ARistolochię species] *Dicta est aristolochia, quòd optima puerperis sit, & menses remoratos, hærentes secundas, & reliquias omnes sua ui sedulò proscribat.*

2 Tres dicimus esse] *Duas aristolochias in nostris usitatiores habemus officinis, rotundam, quæ fœmina est: & longam, quæ masculus: tertiam Clematitim uel sarmentariam folijs fermè rutaceis, quia nec passim, nec omnibus obuia, negligimus.*

3 Pleuriticos curat] *de his dictum est.*

4 Trita repellit] *attrahendo.*

5 Irim coniungas] *radicem ireos, von blauwen gilgen.*

6 Spasmis] *contractionibus neruorum.*

7 Paralyticus] *παράλυσις neruorum resolutio dicitur.*

8 Fistula curatur] *de fistula dictum est.*

9 Concaua farcis] *reples.*

10 Singultus sumpta] *Sunt in singultuũ genere, qui repletione oriuntur, inanitione & eroso, ab acrioribus stomacho: uulgò der nöſch oder gluxer.*

11 Hanc ideo quidam] *Plinius quippe lib. 25. cap. 8.*



DE MARRVbio. Von Andorn. Apffelkraut.

Cap. 42.

DE marrubio uel Βαλλώτῃ ἢ πρασίῳ *Diosc. lib. 3. ca. 10. Theoph. libro 6. de plant. histor. Plin. libro 2. cap. 22. & L. Apuleius lib. de uirtut. herb. 45.*

Marrubiũ nostri dixerũt, Prasion Argi,
Hãc herbã medici calidã siccamq́ secũdo
Dicũt esse gradu, decoctio totius herbæ
Seminis aut eius, pthisicos mirè iuuat hausta:
Pectoris hęc uarios compescit potio morbos,
Et melius prodest illi si iungitur iris,
Asthmaticos sic sumpta iuuat, tussimq́ repellit.
Accelerat partus eadem, pellitq́ secundas,
Si mel marrubio iungatur, uulnera purgat:
Hocq́ modo curat quæ rodunt ulcera carnem.
Dicitur hoc bibitum lateris sedare dolorem,

Omnibus his succum siccatus proderit eius:
Illius succus cum uino melle'ue mixtus,
Prodest luminibus caligine debilitatis:
Sic iuuat ictericos, iniectus naribus idem,
Auriculæq; grauem dicunt curare dolorem.
Hunc mixtum roseo si fundas intus oliuo,
Vsum marrubij non dicunt esse salubrem
His qui uesicæ morbo, renumq; laborant.

SCHOLIA.



1 QVæ rodũt ulcera] *herpen esthiomenum, siquidem qui serpit, & ad ossa rodit, perfectè curat: talia Celsus theromata nominat.*

DE IRIDE. *Von Blawgilgen, Violwurtzen.* Cap. 43.

DE Iride Dioscorides libro 1. capite 1. Plinius lib. 21. capite 7. Aegineta lib. 7. & Galen. simpl.

Iri dat

Iri dat florum nomen color ipse suorum,
Cœlestis similes sunt nempe coloribus iris,
Illyricam dicunt illam, quia plurima nasci
Fertur in Illyria, uis eius sicca, calensq́;
Dicitur, atq; gradum dãt huic in utroq; secundũ:
Maior uis huius est in radicibus eius,
Has desiccandas per frusta rotunda secatas,
Sic ut se partes non tangant, insere filo:
Inq́; loco sicco fac suspendantur in umbra,
Vix aliter totum poteris siccare per annum.
Cum uino sedant tussim, præbentq́; soporem,
Si latitans intus sanies præcordia lædit,
Pellitur illarum cum uino puluere sumpto:
Cum mulsa bibitus choleram depellit iniquam,
Termina cum mixto bibitus sedabit aceto,
Hocq́; modo sumptis dicunt prodesse uenenis,
Spleni contractis & quouis frigore læsis.
Cum uino bibitus puluis medicabitur eius,
Hocq́; modo sumptus tardantia mẽstrua purgat,
Duricias stericas radicum coctio mollit,
Si subtus tepida foueantur sæpius illa:
Hæc cum clysterio si sit subiecta per anum,
Non modicum schiasi dicunt prodesse dolori.
De radicibus his mixto collyria 1 melle
Fiunt, quæ uuluæ pellunt subiecta secundas,
Inq́; locis hæc fixa cauis syringia 2 curant:
Commixtus melli desiccat uulnera puluis,
Carneq́; nuda replet, si sit superadditus, ossa
Pulueris hellebori pars tertia iungitur illi

Iris radicum tenui cum puluere duplo
Puluis uterq; simul commixto melle ligatus,
Hoc superappositum purgat caligine uultum,
Et papulas 3 eius istud cataplasma repellit.

SCHOLIA.

1 Collyria melle] *id est, pessaria hoc collyrio inuncta.*
2 Syringia curant] *fistulas intelligit.*
3 Papulas eius] *furumulos.*



DE INVLA, *Von Alantwurtz.* Cap. 44.

DE Enula uel Ἑλένιο Paulus Aegineta libro 7. Plinius libro 20. capite 5. Dioscorides libro 1. capite 27. Columel. lib. 13.

INula quã uulgus Elnã uocat, eliniũq;
Dicitur à medicis, est forma cognita cunctis:
Humida uis eius, & feruida dicitur esse.

Humor

Humor habet gradum primũ, feruorq́ꝫ secundũ
Dicitur, illius decoctio menstrua purgat:
Si bibitur mouet urinam, depellit abortum,
Dicitur hæc eadem stipatum soluere uentrem:
Radix trita fugat schiasim superaddita coxæ,
Ex eius folijs cum uini nectare coctis,
Mirè 1 nephreticis renes inuoluere prodest.
Eius radicum puluis cum melle uoratus
Tussim compescit, orthopnoicisq́ꝫ 2 medetur:
Cum succo rutæ succus si sumitur eius,
Affirmaut ruptis quod prosit potio talis.

SCHOLIA.

1 Mirè nephreticis] *id est, calculosis.*
2 Orthopnoicis] ὀρθοπνοία *defectus est, quẽ nisi erecta ceruice spiritum ducere admittit.*



DE HISSOPO. *Von Kircheisop. Isopen.* Capite 45.

D E *Hissopo uel* ὑσσώπῳ *Plinius lib. 25. cap. 11. & libro 26. cap. 11. Diosc. libro 3. cap. 27. Aegin. lib. 7. Dinus super Mesue Alhasce uocat.*

Est

Est hyssopum siccũ, calidũ quoq; tertius illi
Est utroq; gradu, eius decoctio facta
Sic, ut cocta simul sint mel: ficus quoq; sicca
Prodest nõ modicũ patientib. hausta catharrum
Subuenit & uoci raucæ uersata palato,
Et prodest cunctis pulmonum sumpta querelis.
Lumbricos uentris eadem potata repellit,
Impetus & capitis, si distillatio fiat,
Quæ persæpè solent tussim, phthisim'q; creare,
Prodest hæc eadem decoctio sumpta frequenter.
Omnibus hic prodest puluis cum melle iugatus.
Contrito uiridi, si iungitur oximel illi,
Sic'q; datur bibitum, stipatum molliet aluum:
Potio si uiridis, uel sicci sæpè bibatur,
Vultibus eximium fertur præstare colorem,
Cum uento nocuo uiscosum phlegma repellens,
Carthama 2 si iungas his, solues fortius aluum:
Cum nitro, & ficu sicca si conteris ipsum,
Et superponas spleni cataplasma tumenti
Hydropicis'ue solet siccando repellere morbum.
Cum uino bibitum præcordia 3 tensa relaxat,
Et quicunq; nocet tumor interiora, recedit:
In quo decoquitur, si dens foueatur aceto,
Fertur ab immodico citò sæpe dolore leuari:
Accenso fumo sonitus compescitur auris,
Elixum appositum humores lympidat omnes.
Sic iuuat ictericos iniectum naribus idem.
Auriculæ dicunt grauem curare dolorem,
Hoc mixtum roseo si fundis intus oliuo.

Catharrum]

1 Catharrum] *id est, rheuma defluens à capite.*
2 Carthama si iungas] *si crocum iunxeris hortensem.*
3 Pręcordia tensa] *de his dictum est antea.*

DE ASARO. *Von Haselwurtz.*

Cap. 46.

De ἀσάρῳ Dioscor. lib. 1. cap. 8. Plutarch. conuiuiorum lib. 3. Plin. lib. 21. cap. 6.

EST asarum Græcè, uulgago dicta latinè,
Hæc calidæ & siccę uirtutis dicitur esse,
Tertius est illi gradus, ut dicunt, in utroque:
Prouocat urinam, potataque menstrua purgat,
Hocque modo iecoris medicatur sumpta dolori.
Hydropicosque iuuat, schiasim fugat hausta frequenter,
Et uuluę 1 morbis decoctio subuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum,
Elleborique modo uomitu præcordia purgat,
Sed non est huius purgatio tam uiolenta.
Hęc metuenda quidem, si fiat taliter illa,
Aetatem 2 & uires eius circumspice primum,
Quem purgare uoles, & tempus 3 quale sit anni,
Etsi sit regio feruens, uel frigida ualde,
Aut si temperiem mediam tenet inter utranque.
Nam senibus, puerisque 4 parum donare licebit,
Aetatis medię plus his, iuuenesque requirunt,
Pinguibus & ualidis 5 plus dandum quàm macilentis,
Debilibusque uiris, magis in gelida 6 regione
Dandum quàm calida, duris 7 quocunque labore
Plus illis 8 tribues, quos reddunt ocia molles.

Hæc

Hæc circumſpiciens, & cætera talia tractans,
Non ſolũ tutus dabis hanc, ſed quaslibet herbas,
Quæ purgant uomitu, uentrem ſtomachum'ue resoluunt.
Sed quia de cunctis dixi communiter herbis,
Quo ſit danda modo propriè uulgago docebo.
De folijs eius triginta recentia tollens,
Adde meri tantum, quo poſsint cuncta recondi:
Tota nocte mero facias macerentur in illo,
Manè teres, uino quo ſunt macerata, reſolue,
Tunc olus excoctum cum pingui carne recenti
Porcina, prius ægroto da ſufficienter:
Et ſumat uini quantum uult fortis & albi,
Sic aſari ſuccum colatum trade bibendum,
Fortibus & magnis eſt hic numerus foliorum
Subijciens, reliquis (ut diximus) minuendus
Iuxta quod uires, æſtas & cætera poſcunt.

SCHOLIA.

ET uuluę morbis] *id eſt, matricis.*

2 Aetatē & uires] *Quæ medici ſpeculatiuò in pharmaci adminiſtratione cōſideranda ſint autor ſcribit: ætas quippe, uirtus, tempus anni, regio, & artificium. Quæ omnia per principem cum annexis quarta primi, quinto capite quoq; deſcribuntur. Circa quæ tamē facile conſtabit, quũ hominē nouerimus (ut Galenus ait) non lapidem, non corium, nec lignum, ſed diuinum quoddam miraculum fermè adorandum ut Plato ait in lib. de Legib. non ſic præcipitāter, ſineq; iudicio in quemuis, harũ conditionum neglectą cōſideratione graſſandum, uelut circũforanei*

medici

medici solent, ambubaiæ, præstigiatores, agirtæ, triobulares, uetulæ, patibularij, lictores, & hinc inde ambulantes radicularij, qui omniũ semoto examine pari tempore, consimili ætate, quauis regione, uirtute constante & non constante, duris artificijs & mollibus assuetis, minusq; assuetis, utri quoq; sexui, una eademq; dosi diram Ezulam, Mezereon, asininos cucumeres, nucem Methel, & alia huius turbulentæ sentinæ, seu fecis potius, administrant: dijudicantes triumphasse, si male affectos peius habere fecerint, & miriades sedium per inferna extorserint, nescij uerborum Hippocratis, qui primo separatorum sermonum 25 Aphorismo deiectiones non secundum multitudinem æstimãdas præcipit, parui quantum faciens, sed quale pluris.

3 Et tempus quale sit anni] Eadem Hippocrates docet quarto Aphorismorum, Sub cane & ante canem molestæ sunt purgationes, inquiens: & Auicenna, qui, Scito inquit, quod tẽpus quo sumenda est medicina, non est tempus uehementer calidum, neq; frigidum: quarta primi, 5. cap. Causas eleganter subiungit Galenus in commento Aphor. perallegati.

4 Nam senibus, puerisq;] Macer subscribit Auicennæ, qui annum 60 excedentem, & 14. non attingentem, à solutionibus deterret, quarta primi, cap. 5.

5 Validis, debilibusq;] Diligenter secundum rationem facienti contemplandum est, an uictus euacuationi consentiat, uel eam ex toto respuat, aut secundum quantitatem limitet, id quod Auicenna quarta primi quoq; monet, quando ipsam dextro oculo inspiciendam hortatur, uitalem intelligens.

6 Magis in gelida regione] Cur in calida regione dosis medicinarum solutiuarũ frugalior exhiberi debeat, causam Princeps quarta primi pulchrè docet, inquiens: utplurimum ea, quæ

uentrem soluunt, calida esse, & sic naturam duarum acuitatum coniunctionem ferre non posse, quòd indiuidua inde reddãtur debiliora, & magis dissoluta. Quod Macer hic scribit, & Vlsenius hoc disticho facit:

Climata distinguo, gelidum fortem medicina
Sustinet, in calida sæpe pusilla nocet.

7 Duris quocunque labore] *Minus dandũ est multi exercitij hominibus aut laborantibus, quòd superfluitates per diaphoresim, uel sudoris exuberantiam euanescant. unde idem Vlsenius in suo de recta pharmacandi ratione compendio sic:*

Namque laboranti non sunt bona pharmaca, uerũ
Vltima si fuerit hæc habitudo, dabis,

8 Plus illis tribues, quos] *Qui ocio fruuntur, superfluitatibus in quali, & quanto abundant, quas ad benignum naturã nec per resolutionem, nec per euacuationem suam reducere potest, unà plus illis dandum Macer hortatur.*

DE

DE MENTHA.

Von Krausmüntz.

Cap. 47.

De mentha uel ἡδύοσμῳ Serap. 298. Gal. ad Pater. 281. Galen. lib. 7. Simp. cap. odiosimum. Dioscor. lib. 3. cap. 36.



VIm calidā siccā'q; gradu fert mētha 2 secundo,
Illius potu uis digestiua iuuatur:
Cōfortat stomachum, uomitum quoq; detinet hausta,
Lumbricos'q; modo depellere fertur eodem,
Diuersis morbis occurrit testiculorum.
Si foueantur aqua, qua menthæ cocta sit herba,
Concretum soluit lac mammis addita trita.
Instillata fugat auris cum melle dolorem,
Asperitas linguæ fugit illa sæpe fricata:
Hausta'q; cum sapa partum solet accelerare,
Trita canis morsum superaddita cum sale curat.
Hæc hæmophthisicis mixto succurrit aceto,
Matrici succus si subditur illius ante
Quàm fiat coitus, mulier non concipit inde.
Caseolos 2 succus putrescere non sinit eius
Admixtus, uel si uiridis superadditur herba.

SCHOLIA.

1 Fert mentha] *Theophrastus non alio quàm minthes nomine pluribus locis mentham uocat.*

2 Caseolos succus] *Dioscorides lac coire, & in caseũ densari menthæ folia non permittere scribit, loco perallegato, putredinis immentor.*

DE CYPERO. *Von Wildergalgen.*

Cap. 48.

De Cypero Plin. lib. 21. cap. 18. Celsus lib. 3. cap. 21. Diosc. lib. 1. cap. 4.

Vim cypero medici calidam siccã'q; secundo
Dicunt esse gradu, potu depellitur eius
Calculus, urinæ purgat, laxat'q; meatus.
Dicit Apollodorus 1 quo'd pellere possit abortũ,
Si mulier foueatur aqua qua coxerit illum:
Asserit hic idem consumere posse lienem,
Illius fumus si sæpius ore trahatur.
Si se sanus homo fumo suffimiget illo,
Dicit eum fieri firmum magis & leuiorem:
Subuenit illarum uicijs admixtus oliuo
Succus, sic uicium fugat intertriginis 2 unctum,
Humores nimios depellit sæpius haustus,
Istius solus puluis, melli'ue iugatus,
Vlcera mirificè, uel uulnera putrida purgat,
Præcipuè puluis hic ulceribus ualet oris,
Si bibitur stomachum confortat debilitatum:
Hydropicis multum succurrit sæpiùs haustum,
Atq; per urinas humores purgat aquosos:
Contrito ualidum cypero si iungis acetum,

Vlcera

Vlcera quæ serpunt cohibes medicamine tali.

SCHOLIA.

1 Dicit Apollodorus] *hunc ex Plinio citat.*

2 Vicium intertriginis] *Intertrigo scabiei species est, longius ac profundius ad membra serpens.*

DE PAEONIA. *Von Beningnen Rosen, Gichtwurtz, Benedicten Rosen.*

Cap. 49.

De Pæonia uel Γλυκυσίδη Auic. 2. cano. ca. 562. Serap. agg. ca. 41. Plin. lib. 25. Dioscor. lib. 3. cap. 148. Galen. 61. Simplic. cap. 101.

Paeoniam medici calidam, siccamq́ fatētur,
Hancq́ tenere gradum dicunt in utroque secundum,
Splen, iecur, & renes cum mulsa sumpta iuuabit:
Si iungatur ei uiolenter amygdala trita,
Menstrua sic purgat, & fluxum detinet alui:
Illius in uino decoctio sæpius hausta,
Vesicæ duros sedat sic sumpta dolores,
Et scotosim 1 sic illa iuuat, stomachiq́ dolorem,
Calculus infantum potu depellitur eius:
Nephreticos eadem multum iuuat, ictericosq́,
Pressuras 2 inferre solent insomnia nocte,
Pæoniæ semen bibitur, sic sæpius arcet.
Illius radix pueris suspensa caducis,
Nō modicū prodest, uelut asserit ipse Galenus, 3
Quendam se puerum narrat uidisse caducum,
Aetas cuius erat annorum circiter octo,

Pæoniæ puer hic radicem ferre ſolebat
Appenſam colle, quadam uice concidit illa:
Moxq́ puer recidit, ſolito quo more ligata,
Protinus euaſit: rem uerò probare Galenus
Hanc plene cupiens, radicem denuò dempſit
De collo pueri, cecidit, uiguitq́ reſumpta,
Cognita uis herbæ fuit, huius ſic manifeſtâ.
Ipſe Dioſcorides 4 cunctis ait eſſe caducis
Aptam, ſi bibitur, uel ſi ſuſpenditur illa:
Seminis illius ter quinq́ rubentia grana
Cum uino fluxum matricis ſumpta coërcent.
Nigra ſolent uarios matricum pellere morbos,
Si totidem dantur, cum uino nocte bibenda.
Huius ſunt geminæ ſpecies, mas 5 dicitur una,
Altera quæ minor eſt ſpecies, eſt fœmina dicta.
Radix maioris eſt palmis longa duabus,
Groſſaq́ ceu digitus, radix diuiſa minoris
Dicitur in plures radices: hæc bene purgat
Poſt partum potata ſteras uino ſociata,
In cunctis reliquis ſimilis uis dicitur illis.

SCHOLIA.

1 ET ſcotoſim] *id eſt, ſubitam uiſus tenebroſitatem, quã apoplexiæ aſſeclam medici dicunt.*

2 Preſſuras inferre ſolẽt] *has Ephialtas uocãt, et à cõtinua emergũt crapula, ſeu ſtomachi cruditate, ſic ut dormiẽtes ad motũ & ſenſũ torpidi fermè uideãtur, ſuffocationi habiles.*

3 Asserit ipse Galenus] *libro 6. de simplici medicina, cap. 101.*

4 Ipse Dioscorides] *lib. 3. cap. 140. Addit Guanerius radicem caducis non solum non utilem, sed item nociuã, si non eruatur luna decrescente.*

5 Mas dicitur una] *Ea ratione in plantis & herbis masculos & fœminas esse dicimus, ut quæ herba maioris est uirtutis, masculus sit: quæ minoris, fœmina. Ex quibus & Plinij illustratur locus lib. Nat. hist. 13. quando inquit: Rerum naturalium scriptores arboribus & omnibus quæ terra gignit, utrumq; sexum accommodant. Contrà Aristotelis decreta, qui libro de Animalium generatione primo in ijs marem à fœmina non separari scribit.*

DE BORAGINE. *Von Buretsch.* Cap. 50.

DE borragine uel Βουγλώσσῳ *Constantinus in lib. de gradibus medicin. Platear. lib. de Simpl. med. cap. 4.*

HErbam quam Græci dixerunt melisophyllon,
Borragam nostri dicunt uulgariter illam:
Præ cunctis apibus gratissima dicitur herbis,
Nec gaudere magis ullius flore uidentur.
Contritis folijs apium si uasa perungas,
Non fugient, meliusq; facis si lac sibi iungas.
Vnguine cultores retinent examina tali,
Auxilium præsens apium fert ictibus illa:

Ictus detrita tegitur si protinus herba,
Hocque modo quos uespa nocet, uel aranea curat.
Trita solet ueteres compescere cum sale strumas,
Hocque modo uicijs dicunt succurrere fœdis.
Fœmina purgatur decocto cum sale succo,
Tali discutitur inflatio noxia potu,
Eius si uiridis decoctio sæpè bibatur:
Antiquos dysentericos iuuat & ciliacos, 1
Astmaticis eadem prodest, orthopnoicisque:
Vlcera depurgat, morbos leuat articulorum.
Herba canis morsus superaddita cum sale curat,
Eius fomento decoctio menstrua purgat:
Ore retenta solet dentis sedare dolorem,
Lumina purgari caligine Plinius 2 inquit,
Eius si succo fuerint cum melle peruncta.

SCHOLIA.

1 IVuat Ciliacos] *κοιλιακοὶ uocantur, qui aluum induratam habent, quæ nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit.*

2 Plinius inquit] *libro 21. cap. 20. & lib. 25. cap. 13.*



DE SENEtione. Von Grindkraut, kreutzwurtz. Cap. 51.

De senetione uel ἠριγέρω Diosc. lib. 4. cap. 92. Theophrastus in lib. 8. de plantis, Gal. lib. 8. Sim. ca. 100. Serap. agg. cap. 323.

ERigeron Græci, nos Senecion uocitamus,
Quo'd canis 1 similis uideatur flore capillis:
Nascitur in muris, & in hortis, & in tabulatis:
Illius herbæ uis frigida dicitur esse,
In medicinali radix non ponitur usu.
Flores cum folijs tundens infundito uini
Permodicum dulcis, & sic tepefacta tumori
Hæc simul apponas ani uel testiculorum,
Addito thus istis, neruos & uulnera quæuis
Curabis facilè posito cataplasmata tali.
Hæc eadem triti facient eius capitelli
Potari prohibent: quia suffocare bibentem
Quidam confirmant, at contrà Plinius 2 autor,

Ictericis quondam potum donasse salubrem,
Cum uino dicit, talíq; modo medicari.
Morbis uesicæ plures ait ille probasse,
Et cordis uicijs illam, iecorísq; dedisse:
Torminibus quoq; cum passo, iuuisséq; potu.
Hoc uarios morbos præcordia, quæ patiuntur,
Et uiridis facit hæc si tincta uoretur aceto.
Trita solet duras cum sale spargere strumas.
Hanc circumscriptam si quis fodiat sine ferro,
Et tangat dentem uicibus tribus inde dolentem,
Vnaquaq; spuens uice, opusq; reponat eodem,
Quo fuit orta loco, sic rursum uiuet ut herba,
Plinius ut dicit, non amplius ille dolebit.

SCHOLIA.

1 QVod canis similis] *Plinius hoc habere nomen inquit, quòd uerè canescat.*

2 Plinius ut dicit] *Plinius lib. 25. cap. ultimo.*

DE CHE.

DE CHELIdonia. Vō Schölwurtz, Schwalbē kraut. Cap. 62.

De Chelidonia uel χελιδωνίῳ Plin. li. 25. ca. 8. Cōstant. li. de gradib. ca. de quarto gradu. Dios. li. 2. ca. 172. & Plin. li. 8. cap. 28. Theoph. de plātis lib. 8. Gal. 8. Simp. cap. 172.



ESse chelidoniæ species geminæ referuntur
A' medicis, species est maiora prima uocata:
Altera uerò minor 1 oculis medicatur, utraqȝ
Cæcatis pullis hac lumina mater hirundo
(Plinius ut scripsit) quamuis sint eruta, reddit:
Hanc nasci 2 dicunt auibus uenientibus illis,
Et desiccari solito dum more recedunt:
Indeqȝ nomē habet chelidonia. namqȝ chelidon
Dicitur hæc uolucris Græcorum more uocari,
Florentis succus cum melle coquatur in ære
Igne leui, spumam donec proieceris omnem,
Et quasi crassiciem mellis decoctio sumat:
Vtilius nullum dicunt oculis medicamen.

Quos

Quos caligo nocet si sint hoc sæpè peruncti,
Conteritur iuncto sibi radix eius aceto,
Et sic ictericis cum uino sumitur albo.
Dentis ut affirmant prohibet contrita dolorem,
De folijs eius contusis si cataplasma
Cum uino fiat, maculas abstergere dicunt.

SCHOLIA.

1 ALtera uerò minor] *hoc Græci χελιδόνιον μικρὸν nominant, Latini scrophulariam minorē, quòd strumis, quas Græca imitatione scrophulas uocant, medeatur: uulgò Feigwartzen oder plater kraut, uel pfaffenhödlein.*

2 Hanc nasci dicunt] *& inde Chelidonium uocatū Theophra. lib. de Plantis 7. cap. 14. scribit.*



DE CENTAVREA. Von Tausentgulden. Cap. 53.

De Centaurea uel κενταυρίῳ Serap. agg. cap. 34. & 35. Gal. 7. Simp. cap. 16. & 17. Auic. 2. can. cap. 102. Dios. lib. 3. cap. 6. & 7. Theoph. lib. 9. de plātis. Item Galen. ad Papiam de Centaureo singularem librū conscripsit.

SVnt cētaureę 1 species, maiorque, minorq́ue, Vt

Vt suprà dictis dixi de pluribus herbis:
Sed quia perpaucis species est cognita maior,
Hanc prætermittens uires narrabo minoris,
Quam notam cunctis credo uulgaribus ipsis,
Desiccatiuæ uirtutis creditur esse:
Non modicum plagas conglutinat inde recẽtes,
Inq; cicatricem ueteres superaddita ducit.
Illi qui schiasim patitur decoctio mirè
Prodest, illius si sit subiecta per anum:
Sanguine 2 detracto sedat mox illa dolorem,
Fomento neruis eadem medicabitur ægris.
Illius succus deducit menstrua sumptus,
Pellit abortiuum, medicamina cuncta maligna:
Cum uino sumptum dicunt purgare per aluum,
Melle sibi iuncto caligine lumina purgat:
Illius exprimitur autumni tempore succus,
Quem desiccatum feruenti sole reponunt,
Ad tales curas, quas diximus esse salubrem.

SCHOLIA.

1 CEntaureæ species] *à Chirone Centauro hæc herba dicta est centaurium. Nam ea multos in Thessalia medicus curauerat.*

2 Sanguine detracto] *per phlebotomiam.*

DE COLVBRINA. *Von Naterwurtz.* Cap. 54.

De colubrina siue δρακοντίῳ *Dios. lib. 2. cap. 155. Theoph. lib. de Plant.*

de Plant. 8. cap. Plin. 24. cap. 16. Aegineta lib. 7. Simp. L. Apuleius de herbarum historia cap. 11.

HErba Dracontiã Græcorũ quã uocat usus,
Hæc eadẽ uulgi lingua colubrina uocatur,
Quod colubro similis maculoso corpore (surgat:
Ex quib. antiquis expertũ credimus esse,
Quod queat à simili colubrina uenena fugare,
Quisquis se trita radice perunxerit eius,
Tutus ab incursu serpentum dicitur esse:
Morsibus illorum cum uino sumpta medetur.
Si iungas oleum cum succo seminis eius,
Auribus infundens, poteris sedare dolorem.
Hoc succo lanam madidam si naribus addas,
Compesces morbũ, qui polypus 1 est uocitatus:
Sic etiam cancris magnum solet esse iuuamen;
Succo radicis eius caligo fugatur.
Et uarij morbi, quæ lumina perpetiuntur,
Ex ipso puro si sint 2 lita, melleue mixto:
Et prodest oculis radix si manditur assa,
Cum 3 pusca granis ter denis seminis hausta;
Lumina munda ferunt, pulsa caligine, reddit:
Si marcescentis illius floris odorem
Nare trahat prægnans, deponere fertur abortũ:
Vel si sit radix matrici subdita trita,
Puluis radicis eius cum melle iugatus,
Tussim compescit, sumptus sedatq; catharrum:
Et confert hæmophthisicis hoc sæpe iuuamen,
Pectoris humores exhaurit non redituros.
Omnibus his prodest radix si sumitur assa:

Istud

Istud idem facit eius decoctio sumpta,
Eius cum uino radix Venerem mouet hausta:
Prouocat urinas, phagedænica 4 uulnera sanat.
Si sit ei tritæ cum melle Brionia 5 iuncta,
Vulneris hoc mundat sordes, syringia curat:
Sola sibi iuncto maculas depellit aceto.
Esse pedum uitium dicunt, cui Pernio 6 nomen
Est à pernicie membri patientis idipsum,
Plebs dicit mulam, solet hoc de frigore nasci,
Amne Draconteæ radices decoque tali,
Pernio deletur, si sæpius amne fouetur.

SCHOLIA.

1 QVi Polypus] *Polypus Caruncula est naribus innascens, cancerata & fœtida, Hippocrate autore nō curanda, 6. Aphor. 38. De hac Celsus lib. 8. cap. 8.*

2 Si sint lita] *lita, pro illita.*

3 Cum pusca] *de pusca dictum est.*

4 Phagedænica uulnera] *Phagedæna ulcera sunt, quæ cum inflammatione & fœtore carnem usq; ad ossa rodunt: ea Plinius Nomadas appellat.*

5 Cum melle Brionia] *Brionia radix est, quam uitem nigram, aut cucurbitam syluestrem uocamus, uulgò scheiszwurtz. Hanc L. Apuleius describit in lib. de uiribus herbarum, cap. 66.*

6 Cui pernio nomen] *perniones sunt excoriationes, quæ fiunt ex frigoris iniuria in calcaneis, & mugæ uulgariter uocantur: quandoque item in pedum digitis, & manuum oriuntur,*

apud

apud Auicennam & Constantinum scissuræ nominantur.

DE GAISDONE. Von farb lattich oder Weyd. Cap. 55.

DE Gaisdone uel Isate Plin. lib. 22. cap. 16. Sed perperam herbæ nomen scriptum arbitror, & Isatin dicendum, id quod facilè ex Plinij notabis scriptis, 20. lib. cap. 7.

Ischas à Græcis est uulgò Gaisda uocata,
Non modicum quæstum præbens tinctoribus herba:
De folijs eius tritis factum cataplasma,
Vulnera, magna licet, conglutinat, atque cruorem
Illorum sistit, reprimit quoscunque tumores:
Si cum melle teris hanc, sordida uulnera purgat,
Emundat maculas, & sacro subuenit igni,
Oui si iungens album en eam superaddas.

SCHOLIA.

ISchas à Græcis] Plinij uerba hæc sunt, quæ Isatim scribendum manifestant: Tertium, inquit, lactucæ genus est, in syluis nascens, hoc Isatim uocant, cum polenta ulceribus prodest, eo infectore lanarum utuntur, sanguinem sistit, phagadænas curat, & contra ignem sacrum radice seu folij prodest. Germanico idiomate Weid uocatur.

DE HELLEBORO ALBO. Von weisz nieszwurtz. Cap. 56

DE Helleboro albo uel ἐλλεβόρῳ λευκῷ. Serap. lib. agg. ca. 333. Dioscor. lib. 4. cap. 145. Auic. lib. 2. cap. 242. & 245. Mesue cap. 52. Marsil. Ficinus li. de Epidid. ca. 11.

Helleborum

HElleborũ geminas ſpecies teſtatur habere,
Albũ quod ſurſũ purgat, nigrũq; deorſum
Vim ſiccam, calidamq; tenet, & tertius illis
Eſt in utroq; gradus: nigro uiolentius album
Dicitur, unde prius dicam de uiribus eius,
Suppoſitum quocunq; modo depellit abortum:
Naribus attractus, ſternutamenta mouebit:
Illius puluis, capitis pellentia morbos
Miſcetur confecturis, quæ lumina purgant:
Et multum prodeſſe ferunt uitijs oculorum,
Pultibus admixtus mures puluis necat eius.
Et cum lacte datus eſt muſcis pernicioſus,
Dicunt per uomitum uarios educere ſumptum
Humores, ueteresq; ferunt ſic pellere morbos:
Purgatur tali uomitu uertigo 1 uetuſta
Inſanis, melancholicis, ualet atq; caducis,
Sæpeq; curatur ſumpto lymphaticus 2 iſto:
Hydropicis in principio mirè medicatur,
Emundat lepram, tetanum 3 fugat atq; podagrã:
Confirmat tremulos, redeuntia tormina curat,
Diuerſis uitijs ſtomachi, ſchiaſiq; medetur:
Et tuſſi ueteri, febribusq; per omnia prodeſt
Quartanis, annis iam pluribus inueteratis.
Ingenti cura ſumpturum Plinius 4 ipſum
Admonet, ut ſeptem ſe præparet antè diebus,
Humectisq; cibis 5 corpus bene temperet omne,
Nec ſerò cœnet qui debet ſumere manè:
Et quando ſumet, iubet explorare ſerenam
Et calidam, claramq; diem, uentisq; carentem

Obseruare iubet: curam si spreuerit istam,
Passurum nimios affirmat eum cruciatus:
Helleborumq; iubet in pultibus antea coctum,
Aut in lente [6] dari, sic dicit non nociturum:
Hācq; [7] dari prohibet senibus, puerisq; tenellis,
Mollibus & timidis, animiq; uiris muliebris,
Et macris nimium dicit non accipiendum.
In succo prisanæ, uel mulsa, paneue coctum
Sumere præcipiunt alij, sic utile dicunt.
Phylo composito fertur scripsisse libello,
Qualiter helleborum sit nobis accipiendum,
Inq; suis Hippocras [8] Aphorismis istius herbæ
Solius meminit, quam nouerat utiliorem.
Plures scripserunt huius de uiribus herbæ,
Et quo sit sumenda modo docuere, quibusq;:
Non tamen inueni per plura uolumina uoluens,
Vllum qui certum pondus [9] donare iuberet:
Istius dixisse satis se, credo, putabant,
Cum iuxta uires, ætates tempora dandum
Iussissent: mihi uerò satis non esse uidetur,
Tutam rem subitum, quæ confert sæpè periclum
Commendare, dari cuiquam sine pondere certo
Plinius ut scripsit, Themison [10] donare solebat
Hellebori drachmas geminas, tribuisse sequētes,
Bis binas etiam confirmat: non tamen ipse
Pondere quo iubeat sumi statuisse uidetur:
Cū tamen hellebori nigri iubeat dare drachmā,
Quatuor [11] aut scrupulos nostri significare uidet̃,
Albi dimidium pondus tantummodò dandum,
Quod

Quod longè nigra uiolentius esse fatetur.

SCHOLIA.

1 VErtigo uetusta] *Græcis σκότωμα dicitur, & est errans quadam oculorum tenebrositas.*

2 Lymphaticus isto] *furiosis: hunc quidam hydrophorbicum nominant.*

3 Tetanum fugat] *Tetanus conuulsio est, quando in ea constituti se ipso flectere non possunt. Aeginet. lib. 3. cap. 20.*

4 Plinius ipsum] *Plin. lib. 25. cap. 5.*

5 Humectisq́ cibis] *qui febricitantibus conueniunt.*

6 Aut in lente dari] *Mesue in melle rosato exhibendum suadet, quod tereniabin uocant: uel melle passulato, aut gallinarum iure, seu carnium, ne suam operationem effrenitet. Marsilius Ficinus pomi adminiculo suam maliciam admittere docet, Epidimiarum 11. capite.*

7 Hancq́ dari prohibet] *idem Plin. eodem loco.*

8 Inq́ suis Hippocras] *Aphorismo quarto, libro Aphor. 14. 15. 16.*

9 Qui certum pondus] *Mesue in suo de simplicibus libro cap. ultimo à charatis 7. ad tertiam 31. transit, seu 31.*

10 Themison donare sole] *huius Themisonis Plinius 25. lib. meminit.*

11 Quatuor aut scrupul.] *scrupulus uiginti granorum hordei pondus est.*

DE HELLEBORO NIGRO. Von schwartz niesz wurtz oder Christwurtz. Cap. 57.

De helleboro nigro autores consulendi sunt præfati, & Plin. lib. 25. cap. 5. & cap. 13. Theoph. lib. 9.

Elleborum nigrũ non est adeó uiolentum
Vel formidãdũ, quantũ q̃d diximus albũ:
Hoc q̃q; p̃cipiunt ueteres in lẽte coquẽdũ,
Aut in iussellis, sic insanis medicari
Assumptum dicunt, & sic prodesse podagræ:
Hydropicis, mota febre 1 dicitur auxiliari.
Miram sentit opem sumpto paralyticus illo,
Et uarios bibitum morbos leuat articulorum:
Educit choleras uarias, & phlegma per aluum,
Elixaturæ potu caligo fugatur:
Duritias suppuratas factum cataplasma
Concoquit & purgat, uacuat syringia 2 collo
Infixus modicus radicis surculus eius,
Postq; dies geminos sit surculus ille remotus,
Ordea quam dederint contrito iunge farinam.
Hydropicus tumor appositus siccabitur illis,
Menstrua suppositum purgat, depellit abortum:
Auditum reddit, si surdis auribus illud
Imponas, & post triduum, biduumu'e repellas:
Appositum tollit maculas eius cataplasma,
Emundat lepras, scabies quascunq; repellit.
Ore diu tentum quo coxeris illud acetum,
Dentis non modicum dicunt sedare dolorem.
Hellebori nigri præcepit Plinius 3 unam

Donari

Donari drachmam, leniter ſic promouet aluum,
Plus quàm bis binos 4 obulos uetat accipiendũ.

SCHOLIA.

1 MOta febre] *pro febre amota.*
2 Vacuat ſyringia] *id eſt, fiſtulas.*
3 Præcepit Plinius] *lib. 25. cap. 5.*
4 Plus quàm bis binos] *obulum pondus duodecim granorum ordei Ianuenſis eſſe ſcribit.*

DE VERBENA. Von Eyſenkraut. Cap. 58.

De Verbenaca, quæ Græcis περιστερεῶν *uel* ἱερὰ βοτάνη *dicitur, Dioſ. lib. 4. cap. 58. Plin. lib. 25. cap. 9. & lib. de re medica 2. cap. 18. L. Apuleius in herbarum hiſtoria cap. 3.*

VErbenam 1 hierobotanem, periſterionq́ 2
Appellãt Græci, ſpecies hęc fertur habere
Binas 3 effectus eſt idem penè duabus:
Cum uino iuuat ictericos ſi ſæpè bibatur.
Peſtiferos morſus curat, ſuperaddita trita,
Cum uino renouanda quidem per quatuor iſta
Eſt medicina dies, oris bene uulnera purgat.
Illius ſuccus tepidus ſi uoluitur ore,
Hoc quoq; facta recens herbæ decoctio præſtat.
Hac etiam quæuis putredo repellitur oris,
Si tepefacta diu uoluatur fauce ſonora:
Glutinat herba recens uulnus ſuperaddita trita.

Occurrit cunctis cum uino sumpta uenenis:
Quæ furit alternis febris accedendo diebus
Pellitur hac, tribus sumptis radicibus eius
Cum totidem folijs potenter aqua resoluta:
Ista prius patiens, quàm frigus senserit ullum,
Hocq; modo febribus quartanis illa medetur,
Bis binis folijs cum tot radicibus haustis
Illius in uino si sit decoctio facta:
Conuiuas hilares inter conuiuia sparsa
Reddere narratur, ut iam præscripta buglossa.
Hanc herbam gestando manu, si quæris ab ægrō,
Dic frater quid agas? bene si responderit æger,
Viuet: si uerò malè, spes est nulla salutis.
Ex hoc compositam quidam iussere coronam
Apponi capiti causa quacunq; dolenti:
Sic dicunt illam celerem conferre medelam.
Plinius affirmat hanc omnibus esse salubrem
Visceribus, lateris morbis, iecorisq; querelis,
Pectoris & uitijs, & præcipuè medicari
Pulmonum causis, hanc asserit ille phthisisq;,
Parotidas 4 reprimit adipi commixta uetusto
Herbam, cui nomen folijs de mille 5 dedere,
Bethonicamq; 6 pari uerbenæ pondere iunge:
Hæc mixta potenter aqua, nullum medicamen
Vtilius credunt illis, quos calculus angit,
Non modicum laudare magos hāc asserit herbā
Plinius, 7 hanc cunctis dicunt obsistere morbis,
Et quod quisq; cupit hac impetrare perunctum.
Sic & amicitias captari posse potentum,
Et

Et pelli febres, & pluria talia fingunt:
Quæ quamuis natura 8 potens concedere possit,
Vana tamen nobis, & anilia iure uidentur.

SCHOLIA.

1 Hierobotanē] *quasi sacrā herbam. Nam istac Iouis mensa ad sacrificium & epulas uerrebatur, & fœciales Romani in sacris legationibus illa coronabantur, mireq; proficuam expiationibus, si suspensa foret, duxerant.*

2 Peristerionq;] *quia in ea uersari plurimùm gaudent columbæ.*

3 Binas habere species] *Rectam & supinam. Rectam Plinius marem nominat, seu cristam gallinaceam, à serratis folijs, quæ gallinaceæ cristæ forma referunt, uocat: supinam autem fœminam, & ideo supinam, quòd semper humi procumbat. Vulgò Eisen kraut mennlein, & eisen kraut weiblin.*

4 Parotidas reprimit] *Quid sit parotis, dictum est.*

5 Folijs de mille] *mille folium intelligit, quam myriophillon siue achilleam nominant, garb.*

6 Bethonicamq;] *de Bethonica dictum est cap. 12.*

7 Hanc asserit herbam Plinius] *lib. 25. cap. 9. Natur. histor.*

8 Natura potens] *quum rerum sit magistra, naturam potentem uocat.*

DE GAMANDRAEA. Von Gamenderlin, vergiss mein nit. Bathengel. Cap. 59.

De Gamandræa chamædri Gal. lib. 8. Simp. cap. 105. Plin. 24. cap. 15. Serap. lib. Agg. cap. 180. Diosc. lib. 3. cap. 103. Theoph. libro 9.

CHamædris 1 Græcè, quę Gamādręa Latinè
Dicitur, hāc herbā calidā, siccam'que fatētur:
Tertius est in utroque gradus, depellit abortū,
Si mixta potetur aqua, tussi'que medetur:
Conquassata iuuat, si mixta bibatur aceto.
Splen siccat, purgat cum uino menstrua sumpta,
Hydropicis in principio sic sumpta medetur:
Sic quoque pestiferis occurrit morsibus illa.
Cunctis prædictis prodest superaddita trita,
Sordens purgabis uulnus licet inueteratum.
Si cum melle teras, & tritam desuper addas,
Chamædreos oculi succo cum melle peruncti
Dicuntur clari, dempta caligine reddi:
Si tritam misces oleo, corpus'que perungas,
Pellit frigorem, reuocabit & ipsa calorem.

SCHOLIA.

1 CHamędris] *dicta sic est quasi humilis ac terrestris quercus, quòd folia quercus habeat, quæ humi repant.*

DE MAVRELLA. Von Nachtschatt. Cap. 60.

De Maurella uel στρύχνῳ *Serap.lib.agg.cap.238.Auic.2.cano.cap.650. Galen.lib.2. de Alim.cap.48. & lib.8.Simp.144 Arnol.de Villa noua in lib.de uinis.*

HErbam quā Græci strichnon dixêre, Latini
Maurellā dicunt, uis eius frigida ualde est:
Dicitur auriculæ mirè sedare dolorem,

Illius

Illius ſuccus ſi ſenſim funditur intus,
Aegilopis 1 ſtrichni dicunt cataplaſma mederi.
Iſtud idem dicunt capitis ſedare dolorem,
Vnà cum ſtrichno ſi ſal panisq́ terantur,
Parotidas 2 reprimet cataplaſmatis addita more,
Strichni prurigo depellitur illita ſucco.
Succus ſuppoſitus fluxum ſtringit muliebrem,
Contritis eius foliïs coniunge polentam,
His ſuperappoſitis ſacer ignis, & herpeta 3 mor-
Dicitur expelli: ſi uerò iunxeris iſtis (dax
Argenti ſpumam, ceruſſam, oleumq́ roſarum,
Fortius & melius prædictum ſit medicamen.

SCHOLIA.

1 Aegilopis ſtrichni] *id eſt, fiſtulis circa angulũ lachrymalem oculi.*

2 Parotidas reprimit] *hoc eſt, abſceſſus poſt aures.*

3 Herpeta mordax] *herpeta quid ſit, antea dictum eſt.*

DE IVSQVIAMO. *Von Bilſamenkraut oder Bilſen.* Cap. 61.

DE ὑοσκυάμῳ Galen. lib. 2. de Morbor. cauſis, Serap. agg. capite 340. Galen. 8. Simpl. capite 148. Dioſcor. lib. 4. cap. 67. & libro 6. cap. 15.

IVſquiamum 1 Greci, quam noſtri caniculatam
Dicunt, huic herbæ uirtus eſt frigida ualde:
Tres habet 2 ſpecies, ſemẽ profert prior albũ,
Altera ſubrufum producit, tertia nigrum:

Nobilior reliquis est semen, quod gerit album,
Pro quo si desit, mos est apponere rufam:
Nigrũ uerò frequens medicorum 3 respuit usus.
Iusquiami folijs contritis adde polentam,
Hoc adhibendo potes quosuis curare tumores,
Sic mirè calidam potes infrigidare podagram:
Auribus infusus uermes succus necat eius,
Illarumq; solet uarios lenire dolores.
Ore diu tepidum si contineatur acetum,
Quo sint decoctæ radices illius herbæ,
Dicitur immodicum dentis pacare dolorem:
Expressus succus contriti seminis eius
Viscosum, calidumq; potest cõpescere rheuma.
Si fuerint oculi patientis sæpè peruncti,
Seminis illius obolus cum semine mixtus
Miconis, 4 pariter cum mulsa sumitur illis
Vtiliter, fluxum matricis quę patiuntur.
Et dicunt hæmophthisicis sic posse mederi,
Vel quocunq; modo sanguis iactetur ab ore,
Dicitur hic potus medicari sæpius haustus
Cum uino tritum semen, cataplasmaq; factum.
Mammas & testes dicunt curare tumentes.
Emplastris multis apponitur, antidotisq;
Infert, sicut olus hæc herba comesta 5 maniam,
Præstat idem succus in quouis uulnere fusus.

SCHOLIA.

1 IVsquiamum Gręci] *Hyoscyamõ Græci hanc herbam nominant, quasi fabam suillã, quod, ut in historia sua Aelianus*

nus inquit, pastu huius herbæ sues præsenti mortis periculo sic cōuellantur, ut nisi aqua statim se foris & intus proluant, confestim moriantur.

2 Tres habet species] *Vnam, quæ purpureos fert flores, & nigrum semen: alteram, luteos & semen subflauum: tertiā flore & semine candido, qua in medicinis utimur.*

3 Medicorum respuit usus] *narcoticis enim, hoc est, stupefactiuis, adnumeratur.*

4 Cum semine miconis] *id est, papaueris.*



5 Comestā maniā] μανία *insaniæ species est, quæ homines tristes facit, non multum distans à uicio, quod Græci* μελαγχολίαν *uocant.*

DE MALVA. *Von Pappeln, oder Ernrosen.* Caput 62.

DE malua uel μαλάχη *Dioscor. lib. 3. cap. 155. Serapius lib.*

aggre-

aggre.cap.76. Galen.lib.7. Simpl.cap.91. Auic.cano.2.cap.7. Plin.lib.20.cap.21.

DIxerunt maluā ueteres, quod molliat aluū,
Esse cacostomachum 1 Sextus Niger asserit illam
Atq; Dioscorides, tamen interioribus ambo
Sumptam sicut olus multum prodesse fatentur:
Et sic uesicæ dicunt illam medicari,
Sicq; uenenosis occurrere potibus illam.
Hi quoq; confirmant maluę folijs, salicisq;
Ex æquo tritis, citiùs, meliusq; cruentum
Sanari uulnus, emplastris quàm preciosis.
Addunt autores ipsi, quòd malua potenter
Conquassata iuuat, adipi commixta uetusto:
Vnius caulis radix admota dolori
Dentis, sedat eum, Venerem stimulare refertur,
Hæc eadem femori silino annexa geratur.
In lana nigra tectam si gesserit illam
Fœmina, mammarum dicūt occurrere morbis.
Scripsit abortiuam 2 Thebana Olympias illam,
Si resolutus adeps miscebitur anseris illi,
Et sic subdatur ueluti pessaria 3 uuluæ.
Contritis folijs illius cum sale pauco
Aegilopas 4 pellit, succoq; medeberis eius
Puncturis apium, cui si coniungis oliuum,
Corpus & inde linas, apium tibi nulla nocebit:
Decoctum lotio capiti superaddito maluam,
Sic turpes acoras 5 pelles, furfurq; nociuum.
Decoctis folijs eius si iungis oliuum, 6
Extingues ignem sacrum cataplasmate tali,

Et

Et combusturis illo bene subuenit ignis:
Duricias stericas eius decoctio mollit,
Intestinorum causis, matricis & ani,
Hoc etiam mire prodest si subditur illis.

SCHOLIA.

1 CAcostomacham] *stomacho inutilem seu malam potius.*

2 Scripsit abortiuam] *Thebanā Olympiam sic scripsisse Plin. habet lib. 20. cap. 21.*

3 Veluti pessaria] *pessarium pro matrice, instrumentum est, ad longitudinē & spissitudinē medij digiti, ex pulueribus cum aliquo liquore incorporatis.*

4 Aegilopas] *fistulas lachrymales.*

5 Turpes achoras] *ἄχωρ capitis ulcus est, squamas instar furfurum habens.*

6 Furfurq; nociuum] *furfura tenues squamæ sunt, in capite & alijs quandoque corporis partibus emersa.*



DE PAratella. Von Mégelwurtz, Grindwurtz, Streiffwurtz, Zitterwurtz, Wildampffer.

Cap. 63.

DE paratella uel λαπάθῳ Plin. lib. de re medic. 1. cap. 38. L. Apuleius lib. de uirtut. herb. cap. 13. Diosc. lib. 2. ca. 106. Aeginet. lib. 7.

HErba solet lapathi, uulgò paratella uocari,
Illius species dicuntur quatuor esse,
Par tamē est fermè uis omnib. in medicina
Omnibus est illis feruens, austeráq; uirtus,
Vnde quidem stomachum confortat sumpta, soletq;
In stomacho clausum per ructum pellere uentū,
Sumptáq; sicut olus fertur restringere uentrem,
Pruritus mordax, scabiesq; cutis laceratrix
Illius tepido cedunt apozimate & fota.

In ui-

In uino coctæ radicis, & bene tritæ
Appositę, scrophas compescunt, parotidasq́;
Eius sæpe tepens si coctio gargarizetur, 3
Vuas sedabit tumidas, dentisq́; dolorem,
Et dysentericos potu iuuat, & ciliacos: 4
Pellitur hac tepida dolor auris, si foueatur,
Decoctas ualido radices eius aceto,
Et tritas spleni superaddito sæpe tumenti,
Quemuis non modicum reprimunt siccando tumorem.
Cum uino, uel aqua radicum coctio facta,
Menstrua restringet potu, lapidesq́; repellet:
Hæc eadem iuuat ictericos, suspensaq́; collo,
Illius radix scrophas nasci prohibebit.

SCHOLIA.

1 ILlius species dicuntur] *prima oxilaphaton Græcis et Latinis nominatur, officinæ lapatium acutum. Germani mengelwurtz, grindwurtz, oder zitterwurtz dicunt. Secunda hortensis, priori dissimilis nō quidē in uniuersum, sed duntaxat in folijs, quæ latiora sunt, & ob cultū teneriora: hoc rheubarbarū monachorū est, quod pro uero Rheubarbarico minimè exhibendum, cōtra quorundā pharmacopolarū lucrosas imposturas: qui nisi trītū rheubarbarū in suis officinis exponūt, quod uelut, quū monachale sit, optimū uendicāt, uulgò münch reubarbar. Tertia syluestris,*

plantaginis

plantagini fermè similis, quam uulgato nomine bonum uocamus Hainricum, gut Hainrich. Quarta, quæ gustu acorem planè resipit, & Græcis Oxalidis appellatur, Germanicè Saurampffer.

2 Apozimate] *Apozima decoctum est herbarum, uel radicum simul.*

5 Gargarisetur] *Ficticium à sono hoc uerbum est, & coaluatur significat.*

4 Et Ciliacos] *de his dictum est.*

DE LOLIO. Von Rattenkraut. Cap. 64.

DE lolio uel αἶρα, ἢ θυάρος, ἢ ζιζάνιον *Galen. 1. Alim. cap. 36. Diosc. lib. 2. cap. 91. Plin. lib. 22. cap. 25. ad finem.*

FRumētis 1 nocuā loliū Grecus uocat herbā,
Quam nostri dicūt uulgari more nigellam: 2
Cancros emundat, pascentia u ulnera curat,
Cum raphano, modicoq; salis superaddita trita,
Zernas & lepras 3 compescit eadem.
Sulphure cum uino, purgamentisq; columbæ
Admisce lolium, semen quod lilia præbent,
His iūgas, hæc cocta mero superaddita scrophis:
Sic scrophas spargit, sic apostemata rumpit,
Duricias alias emolliet hoc cataplasma.
Mulsa decocta cum uino, thure, crocoq;
Apponas coxæ schiasis, quam uexat iniqua.
Parturiens mulier si se suffumiget illa,
Asseritur citius uentris deponere pondus:
